

DIEGO RUIZ DE MONTOYA, S.I.

**Commentarii in materiam de peccatis
(1^a 2^{ae})¹**

Ad q. 81, 82 et 83

TRACTATUS DE ORIGINALI PECCATO

Sectio 1^a

DE VERITATE ET ESSENTIA ORIGINALIS PECCATI

Dubitatur 18

**Utrum originale peccatum sit aegritudinalis qualitas
vel habitus realiter superadditus naturalibus potentiis**

[f.460]

Membrum 1^{um} eorum qui affirmant, sententiae variae.

1^a sententia, Henrici, Quodlibeto 2, q.11², in eo singularis est quoniam tam personalis culpa quam originalis rationem formalem constituit in qualitate et dispositione qua voluntas inclinatur ad consentiendum carni; haec autem dispositio, ex sententia Henrici, generatur in peccato personali ex actu praeterito, atque hoc modo illam contraxit Adamus, ex cuius dispositione animi sequuta est *quasi dyscrasia naturalis in carne, qua caro rebellare coepit contra spiritum*, et caro Adami similem qualitatem in carnem filiorum transmisit; et ex hac carnis corruptione resultat in anima quae illi unitur dispositio inclinans ad oboediendum carni. Huius sententiae rationem adducit nullam.

¹ Seguimos publicando el ms. 582 de la Biblioteca de la Universidad de Salamanca, *Commentarium in materiam de peccatis*, a la 1^a 2^{ae} de Santo Tomás. Ya publicados los comentarios a las qq.71, 72, 73, 74, 76, 88, 89, 75, 77, 78.

² HENRICUS GOEBALS A GANDAVO, *Quodlibeta*, Quodl.2, Quaest.11: Paris 1528 (Reprod. Lovaina 1961, fol.XXXVII K).

2^a sententia, Gregorii Ariminensis, 2, d.30 et 31, q.2, a.2³, asserit originale peccatum esse concupiscentiam quae qualitas sit in anima existens causata ex vitio et morbida qualitate carnis quam ex libidinosa concupiscentia coeuntium parentum caro proles contrahit dum concipitur.

Probat auctoritate Augustini et Magistri de quorum mente dicemus membro 2 et 3, sed ratione nulla probat esse qualitatem superadditam humanae naturae realiter diversam ab eius potentiis quamvis supposito quod detur haec qualitas quae sit peccatum, ut recte probat Gregorius, eam existere in anima quae sola est subiectum peccati et eandem causari ex carne, quoniam nec immediate a Deo nec ex alia reali causa provenire potest.

Eandem opinionem defendit Almain, 3 *Moralium*, c.19, § *Alia est opinio*⁴; et ab illa parum dissidet Corduba, 1^o *Quaestionum*, q.45, puncto 1, opinio 3, nam quod ille addit ad eius explanationem, scilicet, in puris naturalibus futuram fuisse inclinationem ad delectabilia sensus sed adeo vehementem et immoderatam ut modo exurgit, consentitur a Gregorio, d.31, q.2, a.2 ad 3⁵; quod tribuitur [f.460v] etiam Nazianceno in id ad Romanos [6,12], scilicet, *non regnet peccatum in vestro mortali corpore*. Sed Corduba in eo dissidet a Gregorio et subscribit Henricus, quod in corpore non constituit simplicem qualitatem superadditam sed tantum intemperiem humorum et complexionis a qua proveniat ut anima vehementius concupiscat ut contingit aegrotos aut melancholicos acrius ad quaedam vitia incitari.

Praeterea opinionem Gregorii et aliam vix dissimilem Occamii in quodlibet 3, q.10⁶, ut probabiles defendit Gabriel in 2, d.30, a. ultimo, dubio 2 et sequentibus⁷, et eandem opinionem Gregorii

³ GREGORIUS ARIMINENSIS, OESA, *Lectura super primum et secundum sententiarum*, 2, d.30-33, q.1, a.2: Berlin 1980, t.VI, p.183ss.

⁴ *Aurea clarissimi et acutissimi Doctoris Theologi Iacobi Almain Senonensis. opuscula moralia...* 3, c.19: ed.1517, fol.LXXIvb.

⁵ GREGORIUS ARIMINENSIS, OESA, *Lectura super primum et secundum sententiarum*, 2, d.30-33, q.1, a.2: Berlin 1980, t.VI, p.189.

⁶ GUILLELMI DE OKHAM, *Quodlibeta septem*, Quodl.III, Q.10: St. Bonaventurae University, St. Bonaventure, N.Y. 1980, p.241.

⁷ GABRIEL BIEL, *Collectorium circa quatuor libros Sententiarum*, l.2, d.30, q.2, [a.3 Dubium 2ss] Editio Tubinga, t.II, 1984, p.573-576.

fuse proponit Driedo, libro 1 De gratia et libero arbitrio, tractatu 3, c.3, parte 4, consideratione 4, pag.240⁸, sed tandem illam nec approbat nec reprobat.

Ex his doctoribus nullus est qui aliis argumentis utatur quam Gregorii, praeter Cordubam qui praeterea probat —[1^o] quoniam nulla inclinatio naturalis potest esse fomes peccati, cum omnis naturalis inclinatio bona sit et quandoque feratur in bonum. —2^o Quoniam omnis naturalis inclinatio est a Deo sed concupiscentia non est a Deo. —3^o Quoniam inclinationem naturalem destitutam esse originali iustitia accidens est a quo non potest sortiri essentiam fomitis et concupiscentiae.

Horum et similium argumentorum solutio facile constat ex dictis in dubio 16⁹. Nunc breviter respondeo concupiscentiam esse quoddam ens per accidens, et ideo non esse inconueniens si includat rem ex se bonam et creatam a Deo, scilicet naturalem inclinationem, addito praeterea ordine ad solos actus malos ad quos prompta est propter privationem iustitiae originalis; qui ordo superadditus formaliter ens rationis est quamvis praesupponatur in potentiis realis ordo ad omnes actus sive bonos sive malos idemque rationis, quamvis sit accidens comparatione naturalis potentiae; nihilominus est de essentia concupiscentiae et fomitis et est essentialiter malus et non est a Deo auctore.

3^a sententia, Ricardi, 2, d.30, a.1, q.2, et in 3, d.3, a.1, q.4 ad 2¹⁰, plures propositiones continet:

1^a: *Per originale peccatum natura humana ita mutata est in deterius ut vehementiores motus concupiscentiae et acriorem sitim famenque patiatur quam in puris naturalibus pateretur.*

Probat quoniam Sacra Scriptura et Patres affirmant naturam humanam ex originali peccato contraxisse propensionem ad peccandum. Sed huius explicatio constat ex dubio 16¹¹.

2^a propositio: *hic morbus humanae naturae contractus est ex*

⁸ IOANNES DRIEDO A TURNHOUT, *De gratia et libero arbitrio*, lib.1, tract.3, cap.3, parte 4, consid.4: Lovaina, 1566, tom.3, p.130vs.

⁹ *ATG 64 (2001)*, p.311.

¹⁰ *Ricardus de Media Villa, O.M.C., SUPER QUATUOR LIBROS SENTENTIARUM*, In 2um. (t.2.) d.30, a.1, q.2: Brixiae, MDXCI, p.373s. In 3um. (t.3.) d.3, q.4 ad 2: p.29

¹¹ *ATG 64 (2001)*, p.311.

ligno scientiae, ita ut si Adamus in primo peccato abstineret a ligno et aliud praeceptum violaret vel sola [f.461] interiori volitione violaret praeceptum abstinentiae, nullam aut minorem corruptionem transmitteret ad humanam naturam.

Probat ex Augustino, libro 1 Contra Iulianum, subiiciens haec verba quasi ex Augustino desumpta: *si anima utitur voluntate corrupta hanc appetentiam sui corporis effrenasset in ipso*, ut ait Ambrosius, *ex ortu extincta esset origo peccati*¹², sed quoniam non represso appetitu illiciti cibi ad peccati consummationem perventum est, non extincta est origo peccati sed etiam manavit ad posteros. Quorum verborum pars D. Ambrosii, c.58 in Lucam et referta a D. Augustino non in 1^o sed in 2^o Contra Iulianum, columna 7¹³, cuius mens est originale peccatum existere non potuisse nisi in primis parentibus animus consensum praeberet tentationi atque inclinationi carnis, unde nihil pro sua sententia colligere potest Ricardus. De traductione autem originalis culpae etiam si Adamus abstineret a ligno scientiae si aliud peccatum committeret, dicitur sectione 3, dubio 3 et 4.

3^o: Idem Ricardus ait cibum nocuisse naturae humanae non quoniam ex se venenosus esset ut existimavisset dicitur Adam Godam¹⁴, sed quoniam improporionatum erat debilibus, quod probat ex Damasceno, 2 Fidei, c.11¹⁵, dicente bonum erat profectis sed malum infirmioribus et adhuc ad concupiscentiam pronioribus quemadmodum solidus cibus adhuc debilibus et lacte indigentibus. Verum si antecedentia et consequentia feras, Damascenus non agit de nocumento alicuius corporeae qualitatis sed curiosae investigationis propriae naturae et nimiae cuiusdam providentiae in futurum quam ille cibus attulit, quae investigatio licet ex se bona fuisset primis tamen parentibus non expediebat.

4^a, Ricardus, 2, d.30, a.4, q.2¹⁶, ait hanc concupiscentiam

¹² AUGUSTINUS, *Contra Julianum*, l.2, c.5, n.10: PL 44, 681.

¹³ AUGUSTINUS, *Contra Julianum*, l.2, col.7: Paris 1555, t.6, fol 209, c; PL 44, 680.

¹⁴ Adam Wodehan = Enrique Tottingen de Oyta.

¹⁵ IOANNES DAMASCENUS, *Expositio accurata fidei orthodoxae*, lib.2, c.11: PG 94 914.

¹⁶ Ricardus de Media Villa, *O.M.C.*, IN SECUNDUM SENTENTIARUM, a.4, q.2: Brixiae 1591, p.374.

non esse habitum acquisitum ex actibus nec inclinantem ad determinatam speciem actuum sed esse habitum extenso vocabulo ad omnem qualitatem quae necessitatem affert cuiusque motus inordinati.

5^o, in eo Ricardus a veritate recedit minus quam supra citati doctores, quia hanc concupiscentiam seu qualitatem existimat non esse rationem formalem sed materialem peccati originalis.

Membrum 2^{um} Quid in hac re Augustinus senserit

Augustinus in speciem valde favet sententiae Gregorii; verum ex aliis testimoniis eiusdem Augustini, et praesertim ratione, compellimur eum ita explicare ut nullam constituat qualitatem realiter diversam a potentiis appetitivis cum negatione iustitiae originalis. Igitur Augustinus, 1 De nuptiis et concupiscentia, c.25, dicit concupiscentiam esse affectionem malae qualitatis [f.461v] ut est *languor*, et c.31 *morbidum affectum* esse¹⁷, quod, imputatum a Iuliano, defendit ex professo libro 6 Contra Iulianum, c.7¹⁸, ubi concupiscentiam dicit esse *vitiū ingentum* quo anima ipsa vitiosa est, esse libidinem et tanquam malam valetudinem et langorem et esse affectionalem qualitatem quam dialectici habitum appellant cuiusmodi est palidum, ebriosum et iracundum esse, et in libro 1 In Iulianum, c.3, dicit animam in corpore tanquam in *vase vitiato corrumpi*¹⁹; quare videtur ex mala qualitate corporis aliquam aliam qualitatem morbidam in animum redundare, et in libro 6 Contra Iulianum, c.8, concupiscentiam appellat vulnus²⁰.

Ad horum explicationem dico 1^o: languor sive morbus quandoque qualitatem addit realiter distinctam a qualitatibus naturalibus hominis, sive inharentem et osibus sive alicui substantiae quae solet esse admixta corpori: huiusmodi est sanies et alia sive fluida sive solida corpora et de huiusmodi morbo nihil

¹⁷ AUGUSTINUS, *De nuptiis et concupiscentia*, I.1, c.25, c.31: PL 45, 429, 433.

¹⁸ Augustinus, *Contra Iulianum*, I.6, c.7: PL, 833.

¹⁹ Augustinus, *Contra Iulianum*, I.5, c.3: Paris 1555, t.6, fol.231 K; PL 44, 794, 17.

²⁰ Augustinus, *Contra Iulianum*, I.6, c.8: Paris 1555, t.6, fol 243 K; PL 44, 857 58.

ad nos attinet dicere.

Dico 2^o: si nulla superaddita qualitate realiter distincta ab illis quae homini naturales sunt defuisset homini aliqua qualitas necessaria ut reliquas ad temperiem reduceret et membra gubernaret, ut si defuisset virtus atractiva convenientis et expulsiva disconvenientis, ac denique si sola continuatio dorsi cum cerebro deficeret, non est dubium quin hoc sufficeret ut homo aegrotaret et usque ad mortem langueret. — Sed utrum hoc foret formaliter per relationem aut per ipsas qualitates positivas, et aliae quaestiones quas excitat Caietanus in q.82, a.1²¹, nihil attinet ad praesens dummodo nulla qualitate superaddita morbus existat.

Dico 3^o: concupiscentia quae est originale peccatum est languor, morbus, vulnus atque corruptio, ad similitudinem secundi morbi, quoniam licet nullam qualitatem includat praeter intellectum, voluntatem, sensus et appetitum sensitivum, quae omnes qualitates sunt naturae hominis debitae, verumtamen deficit iustitia originalis quam natura humana debuisset retinere ut praedictas potentias ad temperiem et armoniam reduceret illasque cum Deo coniungeret ut cum capite et omnium bonorum fonte; ex cuius unionis defectu potentiae moventur contra rationem et ordinem; hoc igitur sufficit ut originale peccatum vere sit morbus et langor nulla addita reali qualitate. Ita expresse D. Thomas, q.82, a.1²², ut bene explicat Conradus ibi²³, et Capreolus citandus in membro 4.

Si dicas: ergo in puris naturalibus esset eadem corruptio et morbus. — Respondeo totam [f.462] entitatem realem potentialium esse in puris naturalibus, sed quoniam tunc non fuisset debitum habendi superiorem qualitatem qua potentiae gubernarentur, ideo proprie non esset morbus.

Dico 4^o: Augustinus ait concupiscentiam esse qualitatem non quoniam concupiscentia sit una tantum qualitas sed quoniam com-

²¹ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1^a 2^{ae}, q.82, a.1: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani, ed. leon. t.7, p.94s.

²² THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1^a 2^{ae}, q.82, a.1: ed. leon. 7, 94.

²³ CONRADUS KOELLIN, *Expositio commentaria Prima in Primam Secundae A.D. S. Thomae Aquinatis*, q.82, a.1: Venetiis 1589, p.645.

plectitur omnes potentias; intendit autem Augustinus concupiscentiam non esse substantiam sed esse accidentalem inclinationem.

5°. Habitum seu affectionalem qualitatem Augustinus dicit esse non ut habitus ad actum inclinatur, ex quo generatur et est qualitas realiter diversa a potentia, sed ut habitus dicitur illud ratione cuius natura dicitur bene vel male se habere, quomodo palidum et tiscum esse habitus sunt, abstrahendo ab hoc quod qualitatem addant; de quo bene D. Thomas, q.82, a.1²⁴.

6°. Hinc explicatur quod Augustinus ait in 6° libro *Contra Iulianum*, c.7²⁵, morbum concupiscentiae non esse sensum hominis, quoniam sensus est quo sentitur concupiscentia, sicut dolor non est sensus sed quod per sensum cognoscitur esse disconveniens. — Hoc loco Augustinus intendit rebellionem appetitus et inferiorum virium contra rationem esse concupiscentiae actus qui sensu et mente percipitur et propterea potentias appetitivas a quibus illi actus proveniunt habere rationem concupiscentiae potius quam intellectus et sensus.

7°. Augustinus in tractatu *De verbis Apostoli*, apud Magistrum d.30, § *Nomine autem*²⁶, et libro 6 *In Iulianum*, c.5 et c.7²⁷ et alibi saepe ait concupiscentiam minui per baptismum et per bona opera magis ac magis extenuari sed numquam prorsus extingui. Quod non est ita accipiendum ut aliqua pars intrinseca et realis concupiscentiae addi possit aut substrahi cum potentiae praedictae non suscipiant magis et minus; sed concupiscentia extrinsece dicitur esse intensa quando adiunctam habet privationem gratiae et intensior quando incitatur habitibus vitiorum acquisitis quoniam tunc vehementius reperitur ad suos actus; dicitur autem concupiscentia esse remissa extrinsece quando per gratiam et habitus virtutum vel infusos vel acquisitos temperatur. Quo modo loquendi habitus vitiosi dici possunt minui sola additione gratiae quamvis nulla pars illorum destructa fuerit.

²⁴ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1^a 2^{ae}, q.82, a.1: ed. leon. 7, 94.

²⁵ AUGUSTINUS, *Contra Iulianum*, l.6, c.7: Paris 1555, t.6, fol.243; PL 44, 854ss.

²⁶ PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.30, c.IX: ed. Quaracchi 1916, t.2, p.464.

²⁷ AUGUSTINUS, *Contra Iulianum*, l.6, c.5; c.7: Paris 1555, t.6, c.7; c.8, fol.241 EF, 243; PL 44, 844; 855s.

Ita explicat D. Thomas, 2, d.32, q.1, a.1 corpore, fine et ad 3²⁸; D. Bonaventura eadem d., a.1, q.1 c fine, et q.2 c, et a.2, q.2 c²⁹, et Ricardus a.1, q.1³⁰.

Dico 8^o: Ex aliis testimoniis D. Augustini colligitur illum non admittere qualitatem diversam ab appetitu sensitivo quae sit concupiscentia. — Probatur 1^o quoniam saepe ait concupiscentiam [f.462v] quae in pecoribus natura est, eandem in hominibus vitium esse, quoniam sunt rationis compotes. Ita libro 2 De peccato originali, c.4, et in Ps 103, concio 4³¹, et 4 In Iulianum c.5 et 14³². — 2^o Probatur quoniam ubique dum explicat rationem quae primis parentibus verecundiam attulit nullam superadditam qualitatem commemorat sed nuditatem ab originali iustitia, qua sublata motus pudendus extitit. Ita loquitur 13 De civitate, c.13³³, et 11 De Genesi c.31³⁴, et 4 In Iulianum, c. ultimo³⁵, et 1 De peccatorum meritis, c.16³⁶. Vide alios Patres supra dubio 5 in probatione 2³⁷.

Aliorum Doctorum testimonia explicantur Membrum 3^m

1^o, D. Ambrosius, ad Romanos 7 apud Magistrum, 2, d.31, § Ideoque, ita loquitur: *Quomodo habitat peccatum in carne cum non sit substantia sed privatio boni? Ecce primi hominis corpus corruptum est per peccatum ipsaque corruptio per conditionem*

²⁸ THOMAS AQ., *In 2^m Sententiarum, d.31, q.1, a.1 c et ad 3*: ed. Vivès 1873, 8, 431s.

²⁹ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.31, a.1, q.1 c, ad 1, ad 3: Quaracchi, t.2 (1885), p.761; q.2 c: p.763; a.2, q.2 c: p.766.

³⁰ Ricardus de Media Villa, *O.M.C.*, IN SECUNDUM SENTENTIARUM, d.30, a.1, q.1: Brixiae 1591, p.372.

³¹ AUGUSTINUS, *In Ps.103, conc.4*: PL 37 1379.

³² AUGUSTINUS, *Contra Julianum*, I.4, c.5; c.14: PL 44, 756; 776.

³³ AUGUSTINUS, *De Civitate Dei libri XXII*, I.13, c.13: PL 41 386.

³⁴ AUGUSTINUS, *De Genesi ad litteram libri XII*, I.11, c.31: PL 34 445s.

³⁵ Augustinus, *Contra Iulianum*, I.4, c.16: Paris 1555, t.6, c.7; c.8, fol.241 EF, 243; PL 44, 844; 855s.

³⁶ AUGUSTINUS, *De peccatorum meritis et remissione*, I.1, c.16: PL 44, 120.

³⁷ ATG 63 (2000), pg.263.

*offensionis manet in corpore robur tenens divinae sententiae in Adam cuius consortio anima maculatur peccato*³⁸ — Ex his Gregorius Ariminensis infert morbidam qualitatem in corpore a qua emanet alia qualitas in mentem. — Sed si melius verba perpenderet probabilius intulisset oppositum

—1^o) quoniam quando Ambrosius proposuit dubitandi rationem suposuit peccatum esse privationem et non aliquid positivum, quod postea conatur verum ostendere.

—2^o) quoniam corruptio quae manet in corpore est quam intulit divina sententia, sed divina sententia non aliam corruptionem intulit quam quae ex solis viribus naturae provenit illis verbis *pulvis es et in pulverem reverteris*, ut probatum est in dubio 5 probatione 7³⁹; igitur sicut corruptio corporis est naturalium humorum compositio in quantum caret supernaturali qualitate qua in statu innocentiae praeservaretur a corruptione, ita corruptio in animo erit naturalium potentiarum aggregatio ut caret iustitia originali gubernante et impediante peccatum.

—3^o) ex consortio corporis maculatur anima quoniam propter unionem cum corpore anima est hominis ex stirpe Adami progenitum, ut infra, sectione 2, dubitatione 4 et 5.

2^o Hugo, De sacramentis Fidei, libro 1, p.7, cap.32 et 33⁴⁰ existimat cognitionem naturaliter et sine labore homini adfuturam fuisse si sensus non fuisset corruptus per carnem; ergo aliquid naturae hominis contrarium adest quod non esset in puris naturalibus. —Respondeo negando consequentiam quoniam Hugo de statu innocentiae agebat et vox *naturaliter* non significat [f.463] ibi ex solis naturae viribus, sed simul cum natura traducendam fuisse cognitionem, ut modo peccatum originale dicitur naturaliter traduci. Imo, idem doctor prius in capite 21⁴¹ prope finem dixerat insitum esse naturae humanae affectum ad

³⁸ PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.31, c.V: ed. Quaracchi 1916, t.2, p.470.

³⁹ ATG 2000, p.269.

⁴⁰ HUGO A STO. VICTORE, *De Sacramentis christianae fidei*, l.1, p.7, c.32s: PL 176 302.

⁴¹ HUGO A STO. VICTORE, *De Sacramentis christianae fidei*, l.1, p.7, c.21: PL 176 296.

commodum etiam si fuerit contra rationem ubi satis indicat quidquid est reale in concupiscentia proficisci ex natura hominis.

3^o Plerique Patrum in parabola illius qui descendens ab Hierusalem in Iericho non solum spoliatus fuit sed etiam vulneribus affectus, intelligunt humanum genus per originale peccatum vulneratum fuisse.

Et Glossa, ad Rom 4, verbo *iniquitatis*⁴² appellat originale peccatum concupiscentiam et langorem naturae, sed hi et alii similes modi loquendi explicandi sunt ut supra, membro 2, dicto 3.

4^o Magistro tribuitur haec qualitas positiva non solum a Gregorio Ariminense sed etiam a Doctoribus scholasticis communiter, inter quos eos praesertim admiror quia Augustinum ab ea fictione liberant quam adscribunt Magistro, cum Magister nihil in hac re affirmet nisi Augustino auctore, ut constare potest conferenti loca Augustini citata in membro 2 cum testimoniis Magistri afferendis.

Quapropter quod Magister asserit d.30, § *Nunc superest*, et d.31, § *Est enim*⁴³, concupiscentiam esse *languorem naturae et morbidum affectum* explicandum est ut Augustinus in membro 2 dicto 3, et quod d.30, § *Nomine autem*⁴⁴, et d.32, initio, dicit per baptismum minui et debilitari concupiscentiam sed numquam finiri⁴⁵, explicandum est ut Augustinus membro 2, dicto 7.

Praeterea Magister d.31, § *Hic quaeri solet*⁴⁶, et [d.30] § *Est enim*, et d.32⁴⁷ asserit embrionis carnem ante unionem animae rationalis foedam esse et corruptam atque ex hac corruptione carnis aliam promanare in animam quando illi unitur, quae, et similia explicat ut Ambrosius et Augustinus explicati sunt.

⁴² Glossa ad Rom. c.4: PL 114, 482.

⁴³ PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.30, c.8: ed. Quaracchi 1916, t.1, p.464; d.31, c.3: p.469.

⁴⁴ PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.30, c.9: ed. Quaracchi 1916, t.2, p.464.

⁴⁵ PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.32, c.1: ed. Quaracchi 1916, t.2, p.473s.

⁴⁶ PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.31, c.6: ed. Quaracchi 1916, t.2, p.471.

⁴⁷ PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.31, c.5: ed. Quaracchi 1916, t.2, p.470.

5^o Altissiodorensis, tractatu 27, c.1, et tract.28, c.2, libro 2⁴⁸, dicit fomitem esse corruptionem naturae, et tract.27, c.3, ait⁴⁹ fomitem intensum esse originale peccatum sicut fides intensa et formata facit dignum vita aeterna. — Durius adhuc est quod in eodem capite, in solutione tertii argumenti⁵⁰ affirmare videtur, fomiti per se convenire intensionem et pugnam cum gratia ut fortitudini per se convenit victoriam obtinere. Urgent etiam exempla quae adducit in fine primi capituli, scilicet, pannum madidum, aquam calidam, testam odore imbutam, speculum flatu infectum, quae omnia licet valde faveant Gregorio, explicationem tamen admittunt non violentam supposito modo loquendi antiquorum qui constat apud D.Thoma, D.Bonaventura, et Ricardum, supra, membro 2, dicto 7, quo intensio et remissio dicitur per additionem aut detractionem qualitatis iuvantis vel repugnantis idque in Altissiodorensi indicat exemplum [f.463v] fidei intensae, id est formatae per charitatem, et consonat tractatu 27, cap.3, fine⁵¹. Et quod ait, fomiti per se convenire intensionem et pugnam cum gratia forte propterea dixit quoniam per gratiam impeditur a sua naturali inclinatione, unde quod ex se est appetit esse sine gratia, quod est esse *intensum*, secundum modum loquendi antiquorum.

6^o D. Bonaventurae tribuitur sententia Gregorii a Driedo, supra mem.1, forte quoniam Bonaventura 2, d.30, a.2, q.1 ad argumenta, *concupiscentiam intensam dicit esse originale peccatum*⁵² et quoniam admittit et explicat ea quae Magister de concupiscentia tradit. — Verumtamen D. Bonaventura suam mentem aperte testatur d.32, a.1, q.1 et 2, c⁵³, dicens intensionem concupiscentiae non esse aliquid positivum sed privationem retinentis et gubernantis iustitiae.

⁴⁸ *Guilielmus Altissiodorensis, AUREA SUMMA IN QUATUOR SENTENTIARUM*, tract.27, c.1: fol.97; tract.28, c.2: fol.99. (Bibl.Apostol.Vaticana, Incun. III 439).

⁴⁹ *Id.*, *IBID.*, c.6: fol.98.

⁵⁰ *Id.*, *IBID.*, c.27: fol.98.

⁵¹ *Id.* *IBID.* fol.98.

⁵² S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.30, a.2, q.1 c: Quaracchi, t.2 (1885), p.722.

⁵³ *Id.*, *Ibis.*, 2, d.32, a.2, q.2 c: Quaracchi, t.2 (1885), p.768.

Membrum 4
Nullam qualitatem positivam
realiter diversam a potentiis hominis
esse concupiscentiam

Conclusio certa: concupiscentia quae est originale peccatum nihil positivum et reale includit praeter voluntatem et appetitum sensitivum, intellectum et sensum, ex se proclives ad bona quaedam quae sunt contra rationem et carentes originali iustitia qua contineantur, et hic est morbus animi, sed morbus corporis praecise ut corpus est, affert humores naturales hominis et naturales qualitates totius corporis, ut inter se invicem naturaliter pugnantes et carentes supernaturali qualitate qua in statu innocentiae servarentur a corruptione. — Colligitur ex Augustino, Ambrosio, Hugo et Bonaventura explicatis in mem. 2 et 3, non contradicente Magistro et Altissiodorensi ibidem.

Conclusionem docet Anselmus, De conceptu virginali, c.5⁵⁴, ubi, ut ex communi ratione iniustitiae seu peccati deducat rationem originalis peccati, ait *iniustitia non est talis res qua inficiatur et corrumpatur anima ut corpus veneno*, et postea subdit iniustitiam esse prorsus nihil, et eo sensu iniustitiae adscribi opera mala quo negatio freni causa est ut equus evadat praeceps, et negatio gubernaculi causa est ut navis naufragium faciat; atque in 2 capite eiusdem libri quamvis dicat propter originale peccatum corruptum esse hominis corpus, verumtamen expresse ait nunc esse talia hominum qualia sunt brutorum corpora quod saepius repetit in libro De concordia gratiae et liberi arbitrii, capite Restat, col.8⁵⁵.

Praeterea conclusio colligitur ex Alexandro, 2 p., q.122, mem.2, a.3⁵⁶, ubi sub nomine *conversionis* negat quidquid realiter ad malum inclinatur propter originale peccatum, et clarius

⁵⁴ ANSELMUS CANTUARIENSIS, *De conceptu virginali et de originali iustitia*, c.5: Venecia 1549, p.80v. PL 158, 438s.

⁵⁵ ANSELMUS CANTUARIENSIS, *De concordia praescientiae et predestinationis necnon gratiae Dei cum libero arbitrio*, c. Restat: PL 158, 517; Edimburgo 1946, vol.2, p.274.

⁵⁶ Cf. ALEXANDRI DE ALES, *Summa Theologiae*, p.2, q.105, a.3: Venecia 1575, fol.270v.

ex D. Thoma, 1^a 2^{ae}, q.82, a.1 et 3⁵⁷, et De malo, q.4, a.1 ad 4⁵⁸ et 2, d.32, q.1, a.1 c et ad 3⁵⁹, atque ita Divum Thoma intelligunt communiter eius discipuli infra citandi; et Caietanus, quamvis dictam qualitatem videatur admittere, vere tamen illam negat⁶⁰; [f.464] insuper qualitatem superadditam potentiis expresse impugnat Scotus 2, d.32, § *Quantum ad 1^{um}*⁶¹, et d.29⁶², et 4, d.14, q.1, § *Dico ergo*⁶³; Maior 2, d.30, q.2 ante conclusiones⁶⁴; Marsilius, 2, q.19, a.3 usque ad conclusionem 5; Durandus, d.3, q.3, a.1⁶⁵; Ruardus, a.2 contra Lutherum, prope finem, propositio 11 et 13 de originali peccato⁶⁶; Ferrariensis, 4 Contra Gentes, cap. 52, § ultimo⁶⁷. Tribuitur Angesto in Morali, cap.15.

Et sententia quae qualitatem morbidam realiter addit potentiis, ut prorsus improbabilis exploditur a theologis communiter, ut a Capreolo, 2, d.30, a.3 ad 2, contra 2 conclusionem et ad postrema argumenta contra 3 conclusionem⁶⁸; Soto, 1 De natura et gratia, c.8⁶⁹; Medina,

⁵⁷ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*. 1^a 2^{ae}, q.82, a.1, a.3: ed. leon. 7, 94, 97. a.1: ed. leon. 7, 94.

⁵⁸ THOMAS AQ., *Quaestiones disputatae de malo*, q.4, a.2 ad 4: ed. leon. 23, 112.

⁵⁹ THOMAS AQ., *In 2^{um} Sententiarum*, d.31, q.1, a.1 c et ad 3: ed. Vivès 1873, 8, 431s.

⁶⁰ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1^a 2^{ae}, q.82, a.1, a.3: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani, ed. leon. t.7, p.95, 97.

⁶¹ B.IOANNIS DUNS SCOTI, *Commentaria Oxoniensia ad IV libros Magistri Sententiarum*, lib.2, dist.30-32, art.2: Quaracchi 1914, 2, p.764.

⁶² *Ibid.*, p.740.

⁶³ B.IOANNIS DUNS SCOTI, *Quaestiones in IV librum Sententiarum*, d.14: Paris, Vives, 1894, tomo 18, p.66.

⁶⁴ *Editio secunda Ioannis Maioris, Doctoris Parisiensis: in Secundum librum Sententiarum Anno MCCCCCXIX*, fol.CXXIXv. (Bibliot.Apostol.Vatic. III 116)

⁶⁵ BARTHOLOMAEUS DURAND, OMRO, *Clypeus Scoticae Theologiae contra novos eius impugnatores*, t.2, tract.2, disp.3, De statu naturae lapsae, q.3: Massiliae MDLXXXV, p.255.

⁶⁶ RUARDUS TAPPER, *Explicationis articulorum... Facultatis Lovaniensis*, tom.1, Artic.2, propos.11, 13: Antverpiae, 1555, p.130.

⁶⁷ FRANCISCI DE SYLVESTRIS FERRARIENSIS, OP, *Sancti Thomae Aquinatis Doctoris Angelici, Summa catholicae fidei Contra Gentiles cum commentariis...*: ed leon.oper. Sti.Thom. t.15, Roma 1930, p.170.

⁶⁸ I. CAPREOLUS, OP, *Defensiones Theologiae D. Thomae Aquinatis*, Turin 1903, t.4, p.340, 342.

q.82, a.1, prope initium⁷⁰; **Zumel**, q.82, a.1 et a.3 post disputationem 1 in dubio annexo opinioni 1⁷¹; **Bellarmino**, tomo 3 De amissione gratiae, libro 5, cap.15⁷²; **Valentia**, tomo 2, disp.6, q.12, puncto 1, tt^o de sententia Magistri⁷³. Imo eandem opinionem rident haeretici ut **Philipus** apud **Bellarminum** citatum.

Rationibus probatur conclusio:

— 1^o quia nulla est causa efficiens particularis a qua produci quaeat *haec qualitas morbida* sive corporis sive animi, quia nulla causa efficiens illius fingi potest praeter Deum vel diabolium vel homines, aut pomum aut serpentem, et a nullo horum produci potuit. Et - 1^{um} probo Deum non esse particularem causam illius qualitatis, quia secundum adversarios illa qualitas est peccatum originis, et Deus nullius peccati, sive personalis sive originalis auctor est: infra sec.5, dubio 2. — 2^o Quia qualitas morbida quae animum afficit secundum hos doctores ex se determinata est ad malum, et affert necessitatem ad turpes motus voluntatis et appetitus, et nisi ex se inclinaret ad malum frustra ponitur; Deus autem non potest esse auctor alicuius rei quae determinate inclinaret ad malum, ut demonstratum est q.79, a.1, dubio⁷⁴. Unde praeterea non poterit esse a Deo qualitas morbida quae constituitur in carne quia ab illa per se producitur qualitas morbida in anima, unde mediate Deus inclinaret ad malum.

Confirmatur 1^o quia hac ratione saepius probatum est Deum non posse ut causam particularem imprimere alicui vitiosum habitum quia ille inclinatur ad malum. — Confirmatur 2^o quia Deus neminem tentat, unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua, **Iacobi** 1, si autem concupiscentia esset haec ipsa qualitas morbida et haec esset a Deo, sequeretur homines a Deo tentari ut a causa

⁶⁹ D. SOTO, OP, *De natura et gratia libri tres*, l.1, c.8 : Salamanca 1554, p.26.

⁷⁰ B. DE MEDINA, OP, *Expositio in primam secundae Angelici Doctoris D. Thomae Aquinatis*, q.82, a.1, concl.2: Venecia 1590, p.433.

⁷¹ *Franciscus Zumel*, IN PRIMAM SECUNDAE STI. THOMAE COMMENTARIJ, q.82, a.1; a.3, dub. annex.: Salmanticae MDXCIII, p.560 y 574.

⁷² ROBERTUS BELLARMINO, *Controversiarum de amissione gratiae l.V*, c.15: Paris 1873, t.5, p.440.

⁷³ GREGORIO DE VALENCIA, SI, *Commentariorum Theologicorum*, t.2, disp.6, q.12, p.1, de sent.Mag.: Lyon 1603, col.653s.

⁷⁴ ATG 62, 1999, p.141.

principali, et a concupiscentia tanquam a causa immediata, unde Gregorius Ariminensis, ad 5⁷⁵, fatetur hanc qualitatem [f.464v] non esse a Deo; et Almain et alii doctores citati membro 1, praeter Holcot qui apud Almain dicit illam qualitatem a solo Deo produci⁷⁶. — Confirmatur 3^o a dissimili, quia concupiscentia quam nos asserimus in dubio 16⁷⁷, quantum ad totam entitatem realem non est determinata ad malum, sed potius, quod ex se est inclinata ad bonum sibi proprium, et per accidens fertur in malum et propterea potuit Deus auctor esse totius entitatis realis, sed aliter dicendum est de hac qualitate.

— 2^{um} proba. Diabolum non esse causam efficientem illius qualitatis quia ille non habet potestatem producendi aliquid immediate in anima, ut docet D. Thomas, supra, q.9, a.5 et 6⁷⁸, et diximus in q.80, a.1; imo nec in corpus potest efficere aliquid demon nisi per motum localem applicando activa pasivis et quidquid praeter pomum dicatur esse applicatum a daemone fictum erit; pomum autem non fuisse qualitatis morbidae causa probabimus postea.

— 3^{um} proba Adamum et alios parentes non esse efficientem causam illius qualitatis, — 1^o quia Adamus ut quilibet alius peccans potuit suo actu generare habitum inclinantem ad actus eiusden speciei, sed impossibile est ex uno actu generari qualitatem quae inclinet ad omnes actus malos cuiusque speciei. — 2^o quia licet hic habitus generaretur non transmitteretur ad posteros sicut nec alii habitus aliorum parentum vel Adami. — 3^o probatur quia vel potestas producendi hanc qualitatem in filiis collata est hominibus a Deo supernaturaliter, et tunc iam reducitur in Deum ut in causam particularem principalem, quod impugnatum est supra, vel parentes, ex eo praecise quod ea qualitate infecti erant, poterant similem generare in filiis, ut ex leproso parente filius leprosus evadit; verum si generatio huius

⁷⁵ GREGORIUS ARIMINENSIS, OESA, *Lectura super primum et secundum sententiarum*, 2, d.30-33, q.1, a.2 ad 5: Berlin 1980, t.VI, p.190.

⁷⁶ *Aurea clarissimi et acutissimi Doctoris Theologi Iacobi Almain Senonensis. opuscula moralia...* 3, c.19: ed.1517, fol.LXXIIa.

⁷⁷ ATG 64 (2001) p.311.

⁷⁸ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 2, q.9, a.5s: ed. leon. 6, 80s.

qualitatis non potest a Deo ut a particulari causa iuvari sed tantum communi concursu, in aliquibus hominibus deficiet, quia accidentia quae non proveniunt ex natura specifica hominis, imo illi repugnant, quamvis plerumque transmittantur ad filios, sed non infallibiliter, quin potius aliquando peculiaribus causis impediuntur; constat enim lepram stultitiam vel colorem non semper ad filios transire.

— 4^{um} probo vetitum pomum non fuisse causam efficientem eiusdem qualitatis, quia pomum venenatum non erat, et quamvis fuisset, vitae nocuisset verum non attulisset inclinationem ad omne malum. — Confirmatur 1^o, quia vim nocendi non solum corpori sed etiam animo inclinando ad malum arbori contulisse indignum est Deo, ut notat Augustinus, libro 4 [f.465] Contra Iulianum, c.13⁷⁹. — Confirmatur 2^o, quia illud lignum non erat prohibitum quia malum, sed malum quia prohibitum, ex eodem Augustino, 14 De civitate, c.12⁸⁰.

Praeterea, quod ait Ricardus, illum cibum fuisse improprietatum, improbable est quoniam inter puros homines nullus robustior fuit ad quamcumque vitalem actionem quam Adamus in statu innocentiae, quapropter cibus qui Adamo nocivus erat omnibus hominibus esset nocivus. — Denique reiicitur quia corpus non potest agere in spiritum, ut in 2^a ratione. Quare, quod Basilius, apud Augustinum, 1 In Iulianum, col.17, ait *nos aegritudinem contraxisse peccato quia Eva noluit a ligno prohibito ieiunare*⁸¹, intelligitur de aegritudine quae est peccatum ipsum originale per inoboedientiam contractum.

— 5^{um}, quod Gregorius in fine a.3, q.2, d.30⁸², asserit libidinem in homine natam esse ex flatu serpentis, impugnatur: - 1^o quia sine fundamento dictum est: nam quamvis ita habeatur in libro 4 Hypognoticon prope initium et infra⁸³, verum ille

⁷⁹ Augustinus, *Contra Iulianum*, I,4, c.13: Paris 1555, fol.226 L; PL 44 768.

⁸⁰ AUGUSTINUS, *De Civitate Dei libri XXII*, I,14, c.12: PL 41 420.

⁸¹ AUGUSTINUS, *Contra Iulianum pelagianum*, I,1, columna 17: Paris 1555, fol.206 H; PL 44, 663.

⁸² GREGORIUS ARIMINENSIS, OESA, *Lectura super primum et secundum sententiarum*, 2, d.30-33, q.1, a.2 ad 3: Berlin 1980, t.VI, p.191s.

⁸³ PL 45, 1639s.

liber ab omnibus existimatur indignus Augustino⁸⁴ et praeterea ita potest intelligi ut diabolicam persuasionem metaphysice flatum dixerit quia serpentes quidam flatu interimere dicuntur, qua phrasi originale peccatum appellatur *antiqua serpentis plaga*, ut loquitur Irenaeus apud Augustinum, libro 1 in Iulianum, col.2⁸⁵. Et columna 4 Ambrosius ait totum humanum genus dente serpentis in calcaneo Adami vulneratum claudicare⁸⁶. — 2^o probatur quia serpentis flatus corporeus non ad Adamum sed ad Evam tantum pervenire potuit; ergo non potuit producere in Adamo qualitatem morbidam quae ad filios transmissa fuerit. — 3^o quia inficere potuisset flatus etiamsi Adamus resisteret tentationi, nam quod sensus interior illorum nullam vim physicam agendi conferre potuit in serpentem nec physice disponere ad illius effectum.

— 2^a ratio quae praecedentem discursum corroborat: quia nihil corporeum agere potest directe et immediate in animam nostram nisi ut obiectum aut quasi proponens obiectum, ut probat D. Thomas supra tota q.9, praesertim art. 5 et 6⁸⁷; at vero in quacumque sententia concedendum est qualitatem corpoream quae recipitur in semine et illud corrumpit esse efficientem causam illius qualitatis spiritualis quae in anima recepta est originale peccatum. - Cui argumento Gregorius fatetur nullum esse aliud exemplum quo directe in spiritum corpus agat, sed in hoc singulari concedendum esse, inquit, propter auctoritatem cum non demonstretur oppositum. — Sed [f.465v] auctoritatem vidimus supra esse fere nullam. Almain vero, supra, respondet actione intentionali corpus agere posse in spiritum, quoniam obiectum causat partialiter notitiam sui in animam vel in angelum. — Sed hoc impugnare non est huius loci; certum tamen est aliquas actiones animi a corpore pendere et a dispositione corporis aliquo modo causari, de quo infra sec.2, dubio 5.

— 3^a et praecipua ratio est, quoniam omnino superflua erit

⁸⁴ Cfr. Patrologia III, BAC 422, 1981, p.480 (Obras no auténticas de S.Agustín).

⁸⁵ AUGUSTINUS, *Contra Julianum pelagianum*, l.1, columna 2: Paris 1555, fol.202v; PL 44, 643.

⁸⁶ AUGUSTINUS, *Contra Julianum pelagianum*, l.1, columna 4: Paris 1555, fol.203; PL 44, 646.

⁸⁷ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, I 2, q.9, a.5s: ed. leon. 6, 80s.

qualitas superaddita: etenim originale peccatum formaliter consistit in privatione iustitiae originalis, et ut partem materiale[m] includit concupiscentiam inclinantem ad malum, ad quam nulla qualitate superaddita potentiis opus esse probatur, quoniam appetitus sensitivus hominis in eo cum belluis convenit ut honestum non attingat, sed tantum delectabile sensus, ut obiectum adaequatum, quod fusius probatum est in q.71, dubio 3⁸⁸. Ergo appetitus sensitivus hominis, sicut appetitus brutorum naturaliter inclinatur ad bonum sensibile sive sit contra rationem sive non quandiu ille appetitus non cohibetur supernaturali dono iustitiae originalis. Deinde voluntas, cum sit appetitus totius hominis, naturaliter inclinatur ad consensum in delectationem sui inferioris appetitus. —Praeterea, quoniam proprium bonum rationis obscure et segniter intellectus cognoscit, bona vero sensibilia sese per sensus obtrudunt in intellectum et sui cognitionem evidentem et frequenter efficiunt potentius voluntatem alliciunt; ergo ex natura hominis seclusa omni qualitate superaddita datur inclinatio ad bonum rationis contrarium, quae inclinatio ut destituta originali iustitia erit concupiscentia et materialis pars originalis peccati.

Gregorius, ad 2 respondet: si hoc argumentum ex belluarum inclinatione desumptum valeret, negandus esset in hominibus habitus iracundiae aut gullae, quoniam in belluis sine habitibus similes inclinationes cernuntur. Verumtamen debuisset animadvertere habitus constitui in hominibus ut novo aliquo impetu ferantur ad ea quae sine habitibus inclinantur, quare idem auctor ad 3 concedit sine qualitate superaddita homines in puris naturalibus inclinandos fuisse ad malum: sed inquit non ita universaliter⁸⁹.

— Contra quod arguitur quoniam quod natura praestat universalius est quam quod extrinseca qualitate advenit. Confirmatur quoniam sancti concupiscentiam appellant naturalem ut Basilius in libro De virginitate ultra medium naturalis inquit appetitus aut gullositatem aut scortationem titillat⁹⁰, quod docet copiosius in

⁸⁸ (Q.71, a.4, dub.3) *ATG 49 (1986)*, p.283.

⁸⁹ GREGORIUS ARIMINENSIS, —OESA, *Lectura super primum et secundum sententiarum*, 2, d.30-33, q.1, a.2 ad 2 ad 3: Berlin 1980, t.VI, p.189.

⁹⁰ *PG 30, 759*.

libro constitutionum monasticarum, cap.2⁹¹; Chrysostomus, tomo 19 ad populum antiochenum ait concupiscentiae radicem habere a natura principium⁹²; Ambrosius, 1^o De officiis, cap. 21 ait irasci esse naturae⁹³. [f.466]

— 4^a ratio. Quoniam ut non expedit propter originale peccatum puniri aliquem poena sensus sed tantum poena damni quoniam peccatum sola capitis voluntate contractum satis punitur privatione boni quod non erat debitum naturae, ita longe minus expediens erit propter originale peccatum puniri qualitate aliqua contraria naturae hominum quoniam in illa est poena sensus scilicet positivae tristitiae propter bella plusquam civilia quae nunquam non patimur et quod deterius est homines adigerentur ad graviora peccata personalia propter quae poena sensus punirentur in aeternum.

— 5^a ratio est quoniam illa qualitas per baptismum non tollitur cum post baptismum maneat inclinatio ad malum cumque haec qualitas sit originale peccatum sequitur per baptismum non deleri originale peccatum.

In qua ratione observandum est hanc qualitatem si ita asseratur esse originale peccatum ut sit tantum pars materialis illius, esse contra philosophiam et theologiam, sed cum fide non ita directe pugnare ut illud quod asserit Gregorius in a.4 originale peccatum post baptismum manere quoad essentiam quamvis quoad reatum remittatur, quod aperte contradicit Tridentino damnanti errorem Lutheri de quo in dubio sequenti. — Illud etiam prorsus improbable est quod Gregorius ait remitti originalis peccati esse hominem iam non esse reum damnationis aeternae⁹⁴, quasi ratio peccati originalis esset reatus poenae, quod satis impugnatum est dubio 13⁹⁵.

— 6^o Ut ad capita reducamus alia inconvenientia in quae occasione huius qualitatis devenit Gregorius — 1^o rationem

⁹¹ *Basilii Magnus*, Constitutiones asceticae, c.2: PG 31 1535s.

⁹² *Ioannes Chrysostomus*, AD POPULUM ANTIOCHENUM HOMILIA XIX: PG 49, 95.

⁹³ *S. Ambrosius*, DE OFFICIIS MINISTRORUM, I.1, c.21: PL 16,51.

⁹⁴ GREGORIUS ARIMINENSIS, OESA, *Lectura super primum et secundum sententiarum*, 2, d.30-33, q.1, a.4: Berlin 1980, t.VI, p.194s.

⁹⁵ *ATG 64 (2001)* pg.288.

peccati originalis constituit formaliter in re positiva ut constat in eius articulo 1. — 2^o omne vitium dehonostans naturam existimat esse culpam. — 3^o existimat sufficere ad rationem culpae si res aliqua ex se inclinare possit ad malum. — 4^o inde infert habitus ex pravis actibus acquisitos habere rationem culpae, quod breviter reiicitur a D. Thoma, q.82, a.1, arg.2⁹⁶, ubi communiter eius expositores, et in 2, d.32, q.1, a.1 fine⁹⁷. Scoto, 4, d.14, q.1, § Dico ergo⁹⁸; Capreolo, 2, d.30, q.unica, a.3 ad 2⁹⁹; [f.466v] Ruardo et aliis supra citatis.

Et duabus praesertim rationibus impugnatur: 1^o quoniam habitus vitiosus manere potest in homine iusto, unde fit ut post baptismum aut poenitentiam acrius incitentur ad mala qui antea fuere sceleribus dediti.

2^o quoniam possunt hi habitus in homine peccatore destrui per naturales actus, ut olim in quibusdam philosophis, et tamen habitualia peccata manent. — Quantum autem differat habituale peccatum a reali habitu vitioso constat ex superis dubiis, nam habituale peccatum est privatio gratiae in ordine ad praesens actum qui adhuc imputatur et non est ens reale sed ens rationis; at vero habitus vitiosus est ens reale inclinans ad actus reales et realiter productus ex praecedentibus actibus.

Denique Gregorius in 2 a. ad 2 ait illam qualitatem non posse intendi aut remitti, cuius oppositum asserit postea in a.4 in quodam notabili¹⁰⁰, ubi cum concedat quoad suam essentiam remitti posse, inconsequenter negat posse totaliter destrui aliquando; accedat postrema ratio quoniam in has angustias se coniecit Gregorius nulla prorsus ratione compulsus sed sola auctoritate Augustini quem aliter intelligere debuisset, supra membro 2.

⁹⁶ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, I^a 2^{ae}, q.82, a.1: ed. leon. 7, 94.

⁹⁷ THOMAS AQ., *In 2^{um} Sententiarum*, d.31, q.1, a.1 c: ed. Vivès 1873, 8, 431.

⁹⁸ JOANNES DUNS SCOTUS, *Quaestiones in librum quartum Sententiarum*, d.14, q.1: ed. Vivès, t.18 (1894), p.14.

⁹⁹ I. CAPREOLUS, OP, *Defensiones Theologiae D. Thomae Aquinatis*, Turin 1903, t.4, p.340, 342.

¹⁰⁰ GREGORIUS ARIMINENSIS, OESA, *Lectura super primum et secundum sententiarum*, 2, d.30-33, q.1, a.4: Berlin 1980, t.VI, p.194s.

Dices: si concupiscentia aut fomes peccati non est qualitas addita potentiis sed ipsae potentiae ad malum propensae, quomodo manentibus iisdem potentiis dicitur fomes peccati quandoque penitus extinguí quandoque vero ligari et non extinguí. — De hoc dicendum est ubi de puritate B. Virginis. — Nunc breviter respondeo ligatur fomes peccati quando per extrinsecam Dei providentiam impeditur ne prorumpat in motus inordinatos sed tunc dicitur penitus extinguí quando intrinseco et inhaerente habitu reali inclinatur ad omnimodam rectitudinem et conformitatem cum ratione recta ita ut nullus inordinatus motus possit exurgere, de qua re copiose Albertus 2 p., q.117¹⁰¹; Alexander 2 p., q.122, mem.7, a.7¹⁰²; et Durandus 3, d.30, q.3, a.1¹⁰³. Colligitur aperte ex D. Thoma 3 p., q.27, a.3 c¹⁰⁴. Vide expositionem ibi et Cordubam 1 quaest. q.45, puncto 2.

Dubitatur 19

Utrum concupiscentia per se et ex natura sua sit peccatum originale ac proinde etiam in baptizatis [f.467]

Affirmant haeretici huius temporis apud quos tota corruptio naturae, scilicet ignorantia, difficultas boni, propensio ad malum et rebellio appetitus sensitivi contra rationem qualis in baptizatis cernitur est peccatum originale integrum quoad essentiam sed tectum et non imputatum propter regenerationem baptismi; itaque cum catholicis convenire videntur dicentes originale peccatum esse privationem originalis iustitiae, verumtamen valde dissident in eo quod carentiam illius partis iustitiae quae inferiores vires perfecte subiiceret superioribus dicunt esse vere et proprie peccatum originale in iis qui per baptismum renati sunt et

¹⁰¹ B. ALBERTI MAGNI, RATISBONENSIS EPISCOPI, O.P., *Summae Theologiae*, pars 2^a, tract.18, q.117: Opera omnia, Paris 1985, vol.33, p.358.

¹⁰² Cf. ALEXANDRI DE ALES, *Summa Theologiae*, p.2, q.105, mem.7, a.7: Venecia 1575, fol.275s. Ed.Quarachi 1930, t.3, p.258.

¹⁰³ DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 2, d.31, q.3, n.4s: Amberes 1566, fol. 185.

¹⁰⁴ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 3 p., q.27, a.3 c: ed. leon. 5, 292s.

propterea in eisdem corruptionem naturae esse peccatum originale. Ita Lutherus, Melanchton, Petrus Martir et Chemnitius, quorum verba atque varias explicandi et defendendi rationes videre licet apud auctores controversiae citandos in probatione 7.

Praemitto 1^o, illud quod adversus Iulianum toto fere 2^o libro probat Augustinus ex Ambrosio, Cypriano, Hilario et Gregorio Nacienceno, scilicet concupiscentiam quae effectus est originalis peccati manere in baptizatis toto vitae curriculo, in postrema regeneratione gloriae et non antea funditus extirpandam.

2^o praemitto, duas esse cum haeticis controversias de concupiscentia renatorum: altera est utrum secluso omni consensu libero, imo etiam renitente ratione, sit peccatum actuale seu personale motus inordinatus concupiscentiae; altera utrum habitualis concupiscentia quae radix est motuum inordinatorum sit peccatum originale etiam in iis qui renati sunt per baptismum.

—De priori controversia dictum est satis in q.74, a.3, dubio 2 et 4¹⁰⁵, ex qua aliqua testimonia Sacrae Scripturae et Patrum adduci possunt ad sequentem conclusionem probandam, quoniam universaliter negant omnem rationem peccati in concupiscentia baptizatorum secluso voluntatis consensu, verumtamen ea quae magis propria sunt huius controversiae subiiciemus breviter.

Sit ergo conclusio de fide: *Concupiscentia hominis semel iustificati numquam est proprie et vere originale peccatum nec opus habet a Deo tegi et non imputari quoniam vera ratio peccati ablata est per gratiam.*

Probat 1^o, quoniam ita definitur expresse in Tridentino, sess.5^a, § *Si quis per Iesu Christi*, qui textus explicatus est q.74, a.3, dubio 2¹⁰⁶.

2^o *probat* ex Paulo qui cum ad Rom. 6 et 7 multa dixisset de concupiscentia [f.467v] et illius motibus quos inviti patimur, 8^o capite infert *nihil ergo damnationis est iis qui sunt in Christo Iesu qui non secundum carnem ambulant*. Ubi Paulus docet 1^o concupiscentiae motus libere consentientibus et secundum carnem ambulantis esse peccatum personale. 2^o, concupiscentia non

¹⁰⁵ ATG 59 (1996), p.177; 186.

¹⁰⁶ ATG 59 (1996), p.196.

solum consentientibus sed etiam reluctantibus esse originale peccatum si non fuerint in Christo per baptismum. 3^o, iis qui fuerint in Christo per baptismum, et concupiscentiis restiterint nec personale nec originale peccatum esse concupiscentiam. Vide D. Thoma infra, q.89, a.5 ad argumenta¹⁰⁷.

Respondent haeretici propter concupiscentiam nihil damnationis esse renatis quoniam Deus illius reatus remisit in baptismo quamvis adhuc maneat concupiscentia damnatione digna itaque si suas voces intelligunt existimant manere reatum culpae et propterea reatum aeternae poenae quoad intrinsecam dignitatem peccati et per baptismum solummodo auferri extrinsecam ordinationem Dei ad poenam et decretum puniendi.

Hoc autem refutatur —1^o, quia indignum est Deo relicto omni illo quod malum est in peccato illud tantum per baptismum tollere quod bonum est et quo peccati iniustitia reducitur ad debitum ordinem iustitiae, sed supposita vera ratione peccati manente et dignitate intrinseca poenae quae inde necessario resultat, decretum puniendi aeterna poena est optimum, quoniam reducit ad ordinem iustitiae inordinationem peccati. Ergo indignum est Deo relicta vera ratione culpae et dignitatis ad poenam, solum revocare decretum puniendi. — Confirmatur quoniam quidquid sit de potentia absoluta illud certum est de potentia ordinaria hunc honorem aequitatis et iustitiae conservari a Deo ut manente iniquitate puniat et illa remota ignoscat ut demonstrat Ezechiel 18 cap. et quae afferentur in probatione 5.

—Refutatur 2^o, quoniam licet concederemus Deum aliquando remittere poenam manentis culpae hoc tamen non sufficeret ut vera esset illa vox illativa *ergo* qua Paulus ex superiori ratiocinatione circa motus concupiscentiae quorum nos auctores non sumus quando illis resistimus, concludit *nihil ergo damnationis est [f.468] iis qui sunt in Christo*. Itaque secundum Paulum damnatio abest a baptizatis non consentientibus et abest ex vi rationis ex eo quod in Christo fuerint per gratiam, et non propter extrinsecam non imputationem ad poenam.

—Refutatur 3, quoniam Paulus damnationis nomine non solum

¹⁰⁷ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1, 2^{ae}, q.89, a.5: ed. leon. 7, 145.

poenam sed etiam culpam intelligit, ut consta ad Rom 5 *sicut unius delicto in omnes homines in condemnationem*, quod postea explicat dicens *per unius inoboedientiam peccatores constituti sunt multi*, igitur quibus nihil est damnationis nihil est culpae.

—4^o, quoniam post citata verba ad Rom 8 subiicit Paulus veram iustificationem quam lex suis viribus conferre non potuit, de qua in probatione 3.

Eisdem argumentis refutatur sollutio Illirici dicentis concupiscentiae damnationem esse in renatis per se loquendo, per accidens tamen non esse accedente continua petitione remissionis non solum actualium peccatorum sed etiam ipsius concupiscentiae. Nam 1^o, Indignum est Deo propter orationes remittere poenam manentis culpae. 2^o, Quoniam iam vox illativa non recte intulisset, debuisset enim Paulus praemittere orationes ut inferret nihil esse damnationis in renatis. 3^o, In hoc sensu Illirici sententia Pauli absoluta et per se falsa erit et per accidens et secundum quid vera. 4^o, Non minus absurdum Illirici delirium est originale peccatum quod sine actu personae contrahitur indigere personae orationibus quibus illius veniae impetretur cuius oppositum docet Augustinus, *Contra duas epistolas pelagianorum*, libro 1, c.13¹⁰⁸, et epistola 200 ad Asericum¹⁰⁹, et libro *De perfectione iustitiae*¹¹⁰ et 2^o *De peccatorum meritis* cap.4¹¹¹ et concione 3 in Ps 118¹¹².

3^o *probatur conclusio* illis omnibus testimoniis Sacrae Scripturae quae affirmant per Christum collatam esse iustitiam propriam et inhaerentem hominibus, de quo dicendum est ubi de iustificatione; illa tamen proprius accedunt ad praesentem controversiam quae affirmant peccata tolli et homines ab illis liberari, quae testimonia vera non sunt si manent peccata quoad esse intrinsecum et solum aufertur decretum puniendi. Sic Ioannes 8 [36] *si vos Filius liberavit vere liberi eritis*, et Io 1 [29] *ecce qui tollit peccata mundi* sive ut in graeco, peccatum illud mundi,

¹⁰⁸ Augustinus, *Contra duas epistulas pelagiannorum*, l.1, c.13; PL 44 528s.

¹⁰⁹ AUGUSTINUS, *Epistola CC coepiscopo Asellico*: Basilea 1569, col.816.

¹¹⁰ Augustinus, *De perfectione iustitiae hominis*: PL 44, 293s.

¹¹¹ Augustinus, *De peccatorum meritis et remissione*, l.2, c.4: PL 44, 152s.

¹¹² AUGUSTINUS, *Enarratio in Ps CXVIII sermo III*: PL 37 1507.

scilicet originale, ut exponit Cyprianus in epistula de duplici [f.468v] martyrio¹¹³, et ex Beda Glossa ibi¹¹⁴. Vide supra dubio 1, concl.3, probatione 4¹¹⁵. Congruit illud 1 Io [3,5] in hoc ille apparuit ut tolleret peccata nostra sive ut alii legunt *peccatum nostrum* et iterum [1 Io 1,7] *sanguis eius emundat nos ab omni peccato*. — Confirmatur quoniam si concupiscentia in homine iustificato retinet essentiam peccati originalis sequitur diabolus fuisse in malum potentiolem quam Christus in bonum fuerit, cum diabolus veram et inhaerentem iniquitatem intulerit quam Christi gratia numquam potuerit eluere sed tantum extrinseca imputatione gratiae tegere et quare falsum erit quod Apostolus ad Romanos 5 [20] ait *ubi abundavit delictum superabundavit gratia*.

4^o probatur testimoniis quae vim iustificandi et eluendi peccata baptismo et poenitentiae tribuunt, quae vide apud Doctores qui de baptismo et poenitentiae sacramento aut poenitentiae virtute disserunt. Sufficiat illud Ps 50 [9] *asperges me Domine hysopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor*; et Is.1 [18] *si fuerint peccata vestra ut coccinum quasi nix dealbabuntur*; quae aperte indicant non tegi sed vere lavari et auferri peccatorum maculas.

5^o probatur, quoniam si concupiscentia in baptizatis esset peccatum nullum omnino Deus in hac vita diligeret ut filium et amicum amore supranaturali. Consequens autem est falsum, ergo et antecedens. Sequela probatur quoniam *odio est Deo impius et impietas eius Sa 14 [9] et Ps 5 [7] odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium, virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus*; ubi notandum est non solum iniquitatem sed etiam personam propter iniquitatem odio esse et abominabiles Deo; erit autem non laus sed ingens contumelia Christi Domini si Filium Dei haeredem constituat hominem adhuc vitiorum sordibus coopertum quod erit

¹¹³ DE DUPLICI MARTYRIO, AD FORTUNATUM, «auctore neoterico». Se encuentra en el tomo de las Obras de S. Cipriano, Paris 1603, p.578.

¹¹⁴ Glossa, Evang. sec. Ioannem, c.1, *peccatum mundi*: PL 114, 360.

¹¹⁵ ATG 63 (2000), p.215.

patrocinium suscipere non hominis sed peccati quoniam hominem non liberat a peccato sed copiam facit ut impune peccatis haereat. Falsitas autem consequentis constat Io 14 [23] *qui diligit me sermonem meum servabit et Pater meum diliget eum*, et alibi saepe testatur Deus suam erga homines iustos dilectionem ut erga sponsam et filios charissimos.

6^o *probatur*, conclusio et simul explicatur quomodo baptismus deleat originale peccatum (sive reatum concupiscentiae, ut Augustinus loquitur). Quoniam originale peccatum est privatio iustitiae originalis cuius praecipua pars est Gratia iustificans, ut vidimus a dubio 4 usque ad [f.469] 8¹¹⁶; ergo collata gratia per baptismum non remanet privatio iustitiae originalis. Consequentia probatur: quoniam praecipua pars illius privationis qua formaliter consti-tuimur inimici et filii irae est privatio Gratiae et haec privatio restituta Gratia aboletur, et quamvis non restituatur illa pars originalis iustitiae qua inferiores vires subiiciebantur superioribus, tamen illius doni carentia in baptizatis non habet rationem privationis sed meram rationem negationis ut haberet in homine creato a Deo in puris naturalibus. Et ratio est quoniam ablatum est debitum habendi illam partem originalis iustitiae, deleta per gratiam inimicitia.

Confirmatur 1^o, quoniam peccatum originale debet esse voluntarium voluntate capitis, supra, dubio 2¹¹⁷; sed concupiscentia et privatio doni cohibentis illam, iam post baptismum non habet rationem voluntarii in capite; ergo non est peccatum. Probatur minor quoniam iam actuale peccatum Adami non permanet ut moraliter imputabile illi qui baptizatus est, quoniam illius transgressio iam est dimissa.

Confirmatur 2^o, quoniam ut Augustinus docet 3 In Iulianum, cap.12¹¹⁸, *si aliquis non propagaretur ex Adamo, licet haberet concupiscentiam non esset reus culpae aut reprehendendus*; ergo concupiscentia non est essentialiter originale peccatum ut haeretici

¹¹⁶ ATG 63 (2000), p.247-286; ATG 64 (2001), p.241-260.

¹¹⁷ ATG 63 (2000), p.229.

¹¹⁸ Contra Iulianum pelagianum, l.3, c.12: Quod autem tibi praeclaro acumine visus est invenisse ut diceres «Etiam si diabolus crearet homines nulla culpa sua mali essent...» solemus et nos dicere. PL 44, 714 (n.24).

volunt.

Si autem petas quomodo deleatur originale peccatum per gratiam in eorum sententia qui dicunt iustitiam originalem existere posse sine gratia et simul dicunt peccatum originale esse privationem iustitiae originalis. —Respondet Scotus 2, d.32, fine¹¹⁹, gratiam repugnare privationi iustitiae originalis in quantum haec privatio est culpa avertens a fine ultimo et propterea in quantum gratia est donum excellentius quam iustitia. —Verum hoc inter alia praestat nostra sententia quoniam congruentius ostendit rationem remittendi originale peccatum.

7^o probatur ex Patribus qui dicunt post baptismum nullum superesse peccatum. Ita Concilium Carthaginense IV, cap.1¹²⁰; Ambrosius De sacramento regenerationis, apud Augustinum 2 in Iulianum¹²¹; Gregorius Naziancenus fuse in oratione de baptisate quae est 50¹²²; Hieronymus in epistola ad Oceanum; Gregorius Magnus, libro 9, epistola 39 ad Theotistam patriciam¹²³ ex professo refutat eos qui dicebant in baptisate peccata superficie tenus dimitti et probat radicitus extirpari; Cyprianus vel quicumque auctor in sermone [f.469v] de ablutione pedum¹²⁴ ait post ablutionem nec actuaalem nec originalem maculam ullam sui vestigia relinquere; Chrysostomus, homilia ad baptizandos, ante medium; Basilius, homilia 13 quae est exhortatio ad baptismum¹²⁵; Methodius apud Epiphanium¹²⁶, similem aliam haeresim tribuit Proclo cuidam originistae;

¹¹⁹ B. IOANNIS DUNS SCOTI, *Commentaria Oxoniensia ad IV libros Magistri Sententiarum*, lib.2, dist.30-32, fine: Quaracchi 1914, 2, p.778.

¹²⁰ *Concilium Carthaginense, anno 254, c.1*: Harduin Conciliorum Collectio, t.1, col.154s.

¹²¹ AUGUSTINUS, *Contra Iulianum pelagianum*, l.2: Paris 1555, fol.210 F; PL 44, 683.

¹²² GREGORIUS NAZIANCENUS, *Oratio XL In sanctum baptisma*: PG 36 359-426.

¹²³ *León Magno, Papa, EPISTULA L.XI, n.XLV*: PL 77, 1162.

¹²⁴ DE ABLUTIONE PEDUM. En las obras de S.Cipriano, Paris 1603, p.470.

¹²⁵ PG 31, 434.

¹²⁶ *S.Epiphanius, Constantiae sive Salaminis in Cypro episcopus, ADVERSUS HAERESSES, Adversus Origenem, Haeresis LXIII*: Opera omnia, t.1, Paris 1622, p.548. PG 41, 1110.

Theodoretus, in illud Ps 50 *asperges me Domine*¹²⁷; Lactantius, libro 3, cap.26¹²⁸; Prosper 1 De vocatione gentium, c.5.

Alii praeterea disertis verbis testantur culpam sive iniquitatem aut reatum concupiscentiae penitus auferri per baptismum, quamvis ipsa concupiscentia maneat in ratione malae cuiusdam inclinationis, et praesertim Augustinus cuius aliqua testimonia refert Magister 2, d.32¹²⁹, et plura Doctorum neothe statim citandi, verumtamen hoc ex professo defendit 6 In Iulianum, cap.5 et 6 et 7 et praesertim cap.5¹³⁰ asserit regeneratus omni peccato caret non omni malo, quod idem repetit cap.11, et libro 2 De peccatorum meritis cap.28¹³¹, et 1 De nuptiis, c.25 et duobus sequentibus¹³². — Hoc autem, 14 De Trinitate, c.17¹³³, explicat exemplo febris aut vulneris quae cum abeunt sui vestigia relinquunt, langorem et cicatricem; sic enim sanato originali remanet concupiscentia. Idem libro 4 De continentia c.7¹³⁴ et tractatu 41 In Ioannem¹³⁵ et sermone 6 De verbis Apostoli¹³⁶ et libro 1 Contra duas epistolas pelagianorum, c.13¹³⁷ ait concupiscentiam in baptizatis appellari peccatum per metonymiam quoniam ad peccatum inclinatur ut scriptura vel pictura dicitur manus et loquutio dicitur lingua.

Denique concupiscentiam in baptizatis manere sublata omni ratione culpae originalis docet Anselmus, De concordia gratiae et

¹²⁷ Theodoretus de Cyro, INTERPRETATIO IN PSALMOS, in Ps 50, v.9: PG 80, 1246.

¹²⁸ Lucii Caecilii Firmiani Lactantii, LIBER TERTIUS. DE FALSA SAPIENTIA PHILOSOPHORUM, c.26: PL 6,432.

¹²⁹ PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.32, c.1: ed. Quaracchi 1916, t.1, p.474s.

¹³⁰ AUGUSTINUS, *Contra Julianum pelagianum*, l.2: Paris 1555, fol.210 F; PL 44, 683.

¹³¹ Augustinus, *De peccatorum meritis et remissione*, l.2, c.28: Paris 1555, 153; PL 44, 178.

¹³² AUGUSTINUS, *De nuptiis et concupiscentia*, l.1, c.25ss: Paris, t.7, f.177 L- 178 C; PL 44 429ss.

¹³³ S. AUGUSTINUS, *De Trinitate libri quindecim*, l.14, c.17: PL 42 1054.

¹³⁴ S. Augustinus, DE CONTINENTIA, c.7: PL 40, 360.

¹³⁵ S. Augustinus, IN IOANNIS EVANGELIUM, tract.41, nn.9-12: PL 35 1697s.

¹³⁶ Augustinus, DE VERBIS APOSTOLI, R0 8, NULLA ERGO CONDEMNATIO...: PL 38 840ss.

¹³⁷ Augustinus, *Contra duas epistolas pelagianorum*, l.1, c.13: PL 44, 563.

liberi arbitrii, capite Restat, col.8¹³⁸; Hugo, De sacramentis fidei, libro 1, p.7, cap.24¹³⁹; Glossa ad Rom 4, verbo Iniquitates¹⁴⁰.

Communiter scholastici cum Magistro, 2, d.32¹⁴¹, ubi D. Thomas¹⁴², D. Bonaventura¹⁴³ et Scotus¹⁴⁴. Ex professo Albertus, 2 p., tract.17, q.107, mem.4, a.3, particula 3¹⁴⁵; Alexander, 2 p., q.122, mem.6, § 1¹⁴⁶; Guillelmus Parisiensis, tomo 1, tractatu De vitiis et peccatis, cap.5; Driedo, 1 De gratia et libero arbitrio, tract.3, cap.3, p.4, consideratio 6¹⁴⁷; Roffensis, Contra Lutheri, a.2¹⁴⁸, et contra eundem Ruardus, tomo 1 a § *Et quia omnes fere scholae*¹⁴⁹, Iacobus Latomus, pro defensione determinationis lovaniensis contra Lutherum. Osius, t.2, Confessio [f.470] fidei, c.25; Lindanus, 4 Panopiae, a cap. 23; Sonius, in demonstratione, tract.9, c.2 et 3; Andrade, libro 3, axioma 3 et 4; Vega, 14 In Tridentinum, cap.4 initi¹⁵⁰; Bellarminus, tomo 3, libro 5 De amissione Gratiae, a cap.5 usque

¹³⁸ ANSELMUS CANTUARIENSIS, *De concordia praescientiae et predestinationis necnon gratiae Dei cum libero arbitrio*, c. Restat: PL 158, 517; Edimburgo 1946, vol.2, p.274.

¹³⁹ HUGO A STO. VICTORE, *De Sacramentis christianae fidei*, l.1, p.7, c.24: PL 176 297.

¹⁴⁰ *Glossa ad Rom*, c.4: PL 114, 482.

¹⁴¹ PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.32: ed. Quaracchi 1916, t.2, p.473.

¹⁴² THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 3 p., q.27, a.3 c: ed. Leon. 5, 293.

¹⁴³ S. Bonaventura, COMMENTARIA IN QUATUOR LIBROS SENTENTIARUM, l.2, dist.32, a.1, a.2: Quaracchi 1885, t.2, pp.759, 765.

¹⁴⁴ *Duns Scotus*, In Secundum Librum Sententiarum, dist.32, q.unica: Paris 1893, tom.13, p.305.

¹⁴⁵ B. ALBERTI MAGNI, RATABONENSIS EPISCOPI, O.P., *Summa Theologiae*, pars 2^a, tract.17, q.107, mem.4, a.3, partic.3: Opera omnia, Paris 1985, vol.33, p.301.

¹⁴⁶ Cf. ALEXANDRI DE ALES, *Summa Theologiae*, p.2, q.105, mem.6: Venecia 1575, fol.273b. Ed. Quaracchi 1930, t.3, p.257.

¹⁴⁷ IOANNES DRIEDO A TURNHOUT, *De gratia et libero arbitrio*, lib.1, tract.3, cap.3, parte 4, consid.6: Lovaina, 1566, tom.3, p.131v.

¹⁴⁸ *Joannes Roffensis*, (Card. Juan Fisher.) ASSERTIONIS LUTHERANAE CONFUTATIO, art.2: Opera omnia, Wirceburgi MDXCVII, 341ss.

¹⁴⁹ RUARDUS TAPPER, *Explicationis articulorum... Facultatis Lovaniensis*, tom.1, Artic.2: Antverpiae, 1555, p.56.

¹⁵⁰ *Andreas Vega*, DE IUSTIFICATIONE DOCTRINA UNIVERSA, l.14, c.4: Colonia 1572, p.612.

ad 13¹⁵¹; Valentia, tomo 2 Theologiae, disp.6, q.12, puncto 1 a capite de errore aliorum sectariorum¹⁵².

Hic solvenda fuissent plurima haereticorum argumenta nisi vel eadem vel similia soluta fuissent in q.74, a.3, dubio 2 et 4¹⁵³, et huius sectionis dubio 16¹⁵⁴, eademque ex hucusque dictis facile solvi possent. — Illud tamen observandum est haereticos in hac controversia multa imponere antiquis Patribus quae apud illos nusquam reperiuntur, alia vero Patrum testimonia corrumpere praesertim ex libris Augustini, ex quibus tria sunt praecipua haereticorum mendacia:

1^{um} est peccatum originale dimitti in Baptismo, non ut non sit sed ut non imputetur, quod Augustino tribuunt in 1^o De nuptiis et concupiscentia, cap. 25¹⁵⁵, cum tamen Augustinus ibi et ubique dicat manere concupiscentiam remisso peccato originali et numquam asserat manere peccatum originale licet non imputetur.

2^{um} Lutheri mendacium est peccatum originale reatu transire et actu manere, cum tamen D. Augustinus in libro 6 Contra Iulianum, capite 8¹⁵⁶ refutaverit eandem calumniam Iuliani concedens impossibile esse manere actum peccati remisso reatu peccati. Itaque Augustinus ait concupiscentiae actum manere dimisso reatu, de quo supra dubio 15, in appendice¹⁵⁷.

3^{um} est, apud Augustinum voce *reatus* intelligi tantum obligationem ad poenam, ita ut quando asserit deleri reatum originalis peccati intelligat remitti solam poenam; sed iam supra dubio 12¹⁵⁸ demonstravimus ex mente Augustini reatum esse culpam.

Reliqua haereticorum fundamenta vide apud citatos in probatione 7.

¹⁵¹ ROBERTUS BELLARMINO, *Controversiarum de amissione gratiae l.V*, c.5-13; Paris 1873, t.5, p.401-436.

¹⁵² GREGORIO DE VALENCIA, S.I., *Commentariorum Theologicorum*, t.2, disp.6, q.12, p.1, error sectariorum aliorum...: Lyon 1603, col.637...

¹⁵³ ATG 59 (1996), p.195, p.210.

¹⁵⁴ ATG 64 (2001), p.311.

¹⁵⁵ AUGUSTINUS, *De nuptiis et concupiscentia*, l.1, c.25: PL 44, 429s.

¹⁵⁶ AGUSTIN, *Contra Iulianum libri sex*, l.6, c.8: Paris 1555, tomo 7, fol.243M.

¹⁵⁷ ATG 64 (2001), p.309.

¹⁵⁸ ATG 64 (2001), p.278.

Appendix
Utrum concupiscentia post baptismum
sit gloriae impedimentum et proprie poena

Ex toto praecedenti dubio colligitur impugnatio Lutheri qui quamvis incertus ita asseruit in a.3 fomes peccati etsi nullum adsit actuale moratur a corpore animam ab ingressu coeli. Quem errorem, Augustinus 2 De peccatorum meritis cap. 28, fine, preocupaverat his verbis *cum fit in baptismo plena remissio peccatorum, si continuo sequatur ex hac vita migratio non erit omnino [f.470v] quod obnoxium hominem teneat solutis omnibus quae tenebat*¹⁵⁹.

Ad eundem errorem refutandum Tridentina Synodus, sess.5, can.5, definit *nihil prorsus esse quod ab ingressu coeli remoretur baptizatos quoniam efficiuntur innocentes, immaculati, puri, innoxii, Deo dilecti et haeredes Dei, cohaeredes autem Christi*; et sessione 6, cap.14, et sessione 14, cap.8, in eo constituit discrimen inter sacramenta poenitentiae et baptismi, quod *in baptismo semper tota temporalis poena remittitur sed in poenitentia non semper*, de qua re fusius Suarez, de Baptismo, disp.26, sec.1, concl.3¹⁶⁰; Roffensis, Contra 3 Articulos Lutheri¹⁶¹; Ruardus, a.2 § Quod autem¹⁶²; Valentia, disp.6, q.12, puncto 1, in 2^a ratione contra errorem initio adductum¹⁶³.

Illud notandum est hanc moram concedendae beatitudinis posse constitui ex triplici causa: -1^a, quoniam adhuc in baptizatis perseveret tota essentia culpae originalis et haec satis refutata est. -2^a causa, quoniam baptismus in re susceptus non remittat totam poenam personalium peccatorum, et de hoc iam diximus pauca.

¹⁵⁹ Augustinus, *De peccatorum meritis et remissione*, 1.2, c.28: PL 44, 179.

¹⁶⁰ FRANC. SUÁREZ, *De Baptismo*, disp.26, sec.1, concl.3: Opera omnia, Paris 1860, tomo 20, p.458.

¹⁶¹ Joannes Roffensis, (*Card. Juan Fisher*.) ASSERTIONIS LUTHERANAE CONFUTATIO, art.1: Opera omnia, Wirceburgi MDXCVII, 314ss.

¹⁶² RUARDUS TAPPER, *Explicationis articulorum... Facultatis Lovaniensis*, tom.1, Artic.2: Antverpiae, 1555, p.55.

¹⁶³ GREGORIO DE VALENCIA,SI, *Commentariorum Theologicorum*, t.2, disp.6, q.12, p.1, Secundo, quod asserit Illyricus...: Lyon 1603, col.633.

- 3^a causa est, si quis affirmaret poenam damni aeternam originali debitam commutari in absentiam temporalem a regno coelesti in his saltem qui per baptismum non in re sed in voto susceptum iustificantur per actus fidei, spei et charitatis, antequam committant ullum actuale peccatum nec mortale nec veniale, et hoc non solum in Ecclesia inauditum esset sed etiam haereticorum nullus asseruit, et oppositum supponunt omnes Doctores scholastici et antiqui Patres quoniam cum numerant ea quae hominem iustificatum ab ingressu caeli remorantur numquam memorant originale peccatum aut poenam ex eo relictam sed potius omnes poenas alterius vitae resultantes ex originali peccato supponunt per gratiam poenitus remitti.

Obiicies: in hac vita remanet poena originalis peccati, ut mors et concupiscentia; ergo manet etiam culpa originalis, vel certe si sublata culpa originali potest in hac vita manere poena, poterit etiam in alia vita manere. —Respondeo, negando consequentiam: oportuit enim huius vitae poenas et praesertim concupiscentiam non auferri multis rationibus:

1^a, ne subita baptizatorum commutatio ad immortalem vitam et tranquillum dominium suarum virium evidenter ostendens vim baptismi minueret fidei et aliarum virtutum meritum, quam rationem tangit Augustinus, 2 De peccatorum meritis, cap.3¹⁶⁴, et copiose persequitur Anselmus, De cocordia gratiae et liberi arbitrii, cap. Restat, col.9 et 10, et praeterea confirmat exemplo servi qui [f.471] propter propriam culpam flagellatus, propter alterius gratiam obtinet veniam manentibus tamen flagellorum vestigiis et vulneribus¹⁶⁵.

2^a, quoniam concupiscentia relicta est ad agonem ut pugna victoriam pariat et coronam. Ita Tridentinum, sess.5, can.5; Methodius, apud Epiphanium, Haeresi 64¹⁶⁶; Augustinus et Anselmus nuper citati.

¹⁶⁴ Augustinus, *De peccatorum meritis et remissione*, l.2, c.3: PL 44, 152.

¹⁶⁵ ANSELMUS CANTUARIENSIS, *De concordia gratiae et liberi arbitrii*, c.Restat: Venecia 1549, p.140s; Edimburgo 1946, vol.2, p.277s.

¹⁶⁶ S.Epiphanius, *Constantiae sive Salaminis in Cypro episcopus*, ADVERSUS HAERESSES, Adversus Origenem, Haeresis LXIII: Opera omnia, t.1, Paris 1622, p.588ss. PG 41, 1171-1175.

3^a ratio est ut agnoscamus naturae vires et gratiae et peccati fructum gustemus, de quibus vide D. Thoma, 3 p., q.69, a.3¹⁶⁷.

4^o, Gulielmum Parisiensem, tomo 1, Tract. De vitiis et peccatis, c.5 versus finem explicat exemplo prudentissimi patris qui filio prius prodigo et postea ad meliorem frugem converso amissum patrimonium quamvis possit non restitui, ut libidini et prodigalitati materiam subtrahat donec cum aetate iudicii maturitas crescat, ita, etc¹⁶⁸.

Quamvis propter has et alias rationes utile sit nobis concupiscentiam pati, nihilominus amanda non est, sed tantum toleranda concupiscentia, ut optime Augustinus, 10 Confessionum, cap. 28¹⁶⁹, et nos fusius in disputatione de morosa delectatione, dubio 18¹⁷⁰.

Ex his nascitur ultima difficultas utrum fomes seu concupiscentia post baptismum habeat propriam rationem poenae.

Affirmat enim Conradus, q.83, a.1 ad 1¹⁷¹, et Zumel in discussione eiusdem articuli prope finem¹⁷². Probant 1^o ex D. Thoma qui ubique concupiscentiam appellat poenam, ut q.83, a.1 ad 1¹⁷³, et 2 2, q.164, a.1¹⁷⁴, et 3 p., q.63, a.3¹⁷⁵, et 2, d.30, q.1, a.1 per totum¹⁷⁶. —Ratione probant quoniam concupiscentia habet omnia quae requiruntur ad poenam, quoniam est malum voluntati contrarium et propter culpam inflictum. —Confirmatur quoniam ad rationem poenae medicinalis, huiusmodi est concupiscentia, non requiritur manere culpam cuius est poena.

Nihilominus dico 1^o: aliqua poena proprie dicta remanet

¹⁶⁷ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 3 p., q.69, a.3: ed. leon. 12, 108.

¹⁶⁸ GUILIELMUS PARIENSIS, *De vitiis et peccatis*, c.5: Ambiani 1674, t.1, p.270.

¹⁶⁹ AUGUSTINUS, *Confessionum*, 10, c. 28: PL 32, 796.

¹⁷⁰ *ATG 60 (1997)*, p.304.

¹⁷¹ CONRADUS KOELLIN, *Expos. comm. in Primam Secundae*, q.83, a.1 ad 1: Venetiis 1589, p.653.

¹⁷² Franciscus Zumel, *B.M.V. de Mercede*, IN PRIMAM SECUNDAE, Q.83, A.1 FINE: Salamanca 1594, p.600.

¹⁷³ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1^a 2^{ae}, q.83, a.1 ad 1: ed. leon. 7, 101.

¹⁷⁴ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 2^a 2^{ae} q.164, a.1: ed. leon. 9, 334s.

¹⁷⁵ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 3 p., q.63, a.3: ed. leon.12, 35.

¹⁷⁶ THOMAS AQ., *In 2^{am} Sententiarum*, d.30, q.1: ed. Vivès 1873, 8,299ss.

remissa culpa. Huiusmodi est illa quae solvitur in purgatorio pro peccatis, praesertim mortalibus quae habet proprie rationem punitionis et supponit verum debitum in persona quae punitur et sine illa poena vel sine aliquo aequivalenti non satisfit iustitiae.

Igitur concupiscentia post baptismum non est poena ita proprie quoniam ut supra vidimus nullum debitum iustitiae restat in eo qui baptizatur; alioqui si statim post baptismum obiret deberet ante visionem Dei aliquid solvere quia nihil in hac vita post baptismum persolvitur; itaque concupiscentia non est poena quae sit punitio debita ex iustitia ut est illa quae fit in purgatorio remissa culpa.

Dico 2^o: largius accepto nomine poenae pro malo involuntario quod propter culpam inflictum fuit et dimissa culpa relinquitur propter medicinam, ut sic, concupiscentia est [f.471v] poena post baptismum.

Dubitatur 20

Utrum originale peccatum sit substantia hominis

Affirmat Illiricus cuius figmentum ad 6 propositiones revocatur. —1^a propositio est, peccatum si generatim sumatur res est transcendens omnia praedicamenta, quoniam quaedam peccata substantiae sunt, alia qualitatis, quantitatis, relationes, et sic de aliis praedicamentis. —2^a propositio: peccatum originale substantia est. —3^a: homo ab initio conditus erat substantialiter imago Dei per formam substantialem qua constituitur homo theologicus, quae forma superadditur alteri formae qua homo physicus constituitur in esse animalis rationalis. —4^a propositio: haec forma substantialis imaginis Dei amissa est per originale peccatum, quoniam hoc peccatum est substantialis imago diaboli. —5^a propositio: haec forma substantialis est fons ex quo omnia crimina scaturiunt, ita ut homo per se nihil aliud possit quam odisse et contemnere Deum et illius praecepta. —6^a propositio: illa mutatio hominis non potest proprie dici generatio vel creatio sed transformatio, qualis est cum vinum vertitur in acetum verumtamen mutata substantiali forma.

Simile est quod Lutherus in assertione art. 3 apud Rofensem asserit: peccatum est res vivens et quotidie movens sicut et ipsa

anima in qua habitat nam et iustitia res est vivens et movens; et alibi asserit peccatum esse de essentia hominis. —Hunc errorem impugnarunt alii lutheranorum theologi, praesertim Gemmitius, Unihando, Shusius, et Merlinus; verum iidem alibi labuntur in errorem Illirici, de quibus vide Bellarmino, tomo 3, libro 5 de amissione gratiae, cap. 1 et 2, et 3¹⁷⁷; Valentia, tomo 2, disp. 6, q.12, puncto 1, initio¹⁷⁸.

Huius erroris argumenta fusius refutanda relinquimus iis auctoribus quibus ex peculiari instituto cum haereticis decertandum est. Numerabimus tamen praecipua fidei fundamenta quae funditus evertit Illiricus.

1^{um} est: solus Deus ex sua essentia et substantialiter bonus est, ut omnes intelligunt illud Mt 19 et Mc 10, *nemo bonus nisi solus Deus*; at vero apud Illiricum *imago Dei erat iustitia et sanctitas quae forma substantialis erat primis parentibus in statu innocentiae*.

2^{um} fundamentum: gratia et virtutes infusae supra naturam hominis sunt praesertim vero visio beatifica quae nulli substantiae creatae debetur; sed apud Illiricum *omnia dona pertinentia ad statum innocentiae tam debita erant ut homini debetur illius essentia, et consequenter debita esset [f.472] visio beatifica*. Vide quae supra, dubio 5 attulimus ad probandum originalem iustitiam fuisse supernaturale donum.

3^{um}: imago Dei, quae consistit in arbitrii libertate quae intellectu et voluntate constat, ea permanet in homine post peccatum, ut alibi demonstrat. Porro ea similitudo quae ex virtutibus et donis consurgit non est substantialis sed accidentalis homini, ut communiter docent Ecclesiae Patres quorum aliquot retulimus dubio 5, probatione 6¹⁷⁹, explicantes similitudinem Dei in qua homo fuit conditus esse dona atque virtutes a Deo infusas. Vide quos retulimus dubio 8, difficultate ultima¹⁸⁰.

¹⁷⁷ ROBERTUS BELLARMINO, *Controversiarum de amissione gratiae l.V, c.1-3*: Paris 1873, t.5, p.386-398.

¹⁷⁸ GREGORIO DE VALENCIA, SI, *Commentariorum Theologicorum*, t.2, disp.6, q.12, p.1: Lyon 1603, col.629.

¹⁷⁹ ATG 63 (2000), p.268.

¹⁸⁰ ATG 64 (2001), p.257.

4^{um} fundamentum est malum nihil esse in rerum natura sed tantum esse privationem boni; de cuius dogmatis intelligentia quamvis quando sit inter catholicos illud tamen apertissime testantur omnes Patres, malum seu peccatum non esse substantia, ut constabit legenti eos omnes quos supra, q.72, a.6, dubio 1¹⁸¹, attulimus ad probandum essentiam peccati in privatione consistere. - Et in specie peccatum originale non esse substantiam nec libidinem aut concupiscentiam esse substantiam, docet ex professo Augustinus, 6 In Iulianum, cap.7 et 8¹⁸², refutans calumniam Iuliani qui existimabat ab Augustino affirmari diabolus alicuius substantiae auctorem, quoniam eum dixerat auctorem originalis peccati et concupiscentiae.

5^{um} est peccati seu mali causa non esse aliquod primum malum quod sit per essentiam malum, quod contra manichaeos demonstratum est supra, q.75, a.1, dubio 3¹⁸³. Illiricus autem vel daemonem dicit esse essentialiter malum ut auctorem sit originalis peccati substantialis, et tunc manifeste incidet in errorem Manichaei quem ille vitare contendit, vel dicit diabolus esse accidentaliter malum, propriae voluntatis operatione, et tunc eadem ratione homo poterit esse accidentaliter malum quamvis in eo non existat substantialis imago diaboli. — Confirmatur quia vel illa forma substantialis est imago diaboli quantum ad illius substantiam, et haec bona est cum a bono Deo crata sit, vel est imago diaboli quantum ad malitiam, et cum malitia diaboli accidentaliter sit ex arbitrio libertatis, consequens est non esse de substantia hominis: nulla enim proprietas est magis essentialis et substantialis in eo qui participat quam in principio a quo participatur.

6^{um}: non sunt in homine duae animae alia bona alia mala quae semper ad malum inclinēt, ut demonstratum est contra manichaeos in q.75, a.1, dubio 3¹⁸⁴; sed Illiricus 3 formas substantiales constituit: 1^{am} qua homo constituitur animal rationale, quae

¹⁸¹ ATG 56 (1993), p.220.

¹⁸² Augustinus, *Contra Julianum pelagianum*, l.6, c.7: PL 44, 635.

¹⁸³ ATG 61 (1998), p.196.

¹⁸⁴ ATG 61 (1998), p.197.

semper manet. 2^{am} animam seu formam, [f.172v] iustitiae, cui 3^a peccati forma successit. Deinde nulla forma substantialis hominis est corruptibilis, at vero apud Illiricum duae illae formae iustitiae et iniustitiae corruptibiles sunt. — Denique contra Philosophiam constituuntur plures formae substantiales in uno composito, quod specialiter de homine probat D.Bonaventura, 2, d.31, a.1, q.1¹⁸⁵.

7^{um} homo viribus naturae liber est et absolute potest a peccatis singulis abstinere ut demonstratur ubi de Gratia. Hanc libertatem negat Illiricus, quoniam forma illa quae est imago diaboli est determinata ad malum.

8^{um} fundamentum est naturam humanam eiusdem speciei quae est in nobis, conditam fuisse a Deo in summa felicitate in statu innocentiae.

9^{um} eandem assumptam fuisse a Cristo Domino.

10^{um} eandem resurrecturam esse in iustis et collocandam in coelo.

11^{um} eundem hominem qui peccat revocari ad gratiam et eundem hominem qui iustus erat postea in peccato esse; quae omnia falsa erunt si forma substantialis est originale peccatum, quoniam haec forma in statu innocentiae non fuit, in Christo Domino esse nequit, in beatis et hominibus iustis non erit.

12. Ex Illirici sententia colligitur formam hominis corruptibilem esse, quoniam apud illum suprema hominis forma substantialis qua constituitur iustus aut peccator corruptibilis est.

Sectio 2^a DE SUBIECTO ORIGINALIS PECCATI ET CORRUPTIONIS QUAE IDEM PECCATUM PRAECEDIT ET SEQUITUR

Ut circa essentiam originalis peccati, ita circa eius subiectum variae sunt catholicorum sententiae et varii haeticorum errores.

Lutherani affirmant originale peccatum in toto prorsus homine

¹⁸⁵ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.32, a.1, q.1: Quaracchi, t.2 (1885), p.742.

esse ita ut a planta pedis usque ad verticem capitis non sit particula immunis a peccato originali.

Apud Illiricum *homo physicus* (ut ille appellat) subiectum erat formae substantialis qua constituebatur *homo theologicus*, quae forma erat originale peccatum in fine sectionis praecedentis.

Haec et similia portenta refutata sunt partim postremis dubiis superioris sectionis, partim ex infra dicendis refutabuntur.

Supponendum est non quaeri subiectum cui realiter inhaereat originale peccatum, cum ipsum non sit qualitas aut aliud reale accidens, ut ostendimus sectione 1^a, dubio 18; sed quaerimus subiectum cui secundum rationem inhaeret originale peccatum eo modo quo privatio inhaerere potest. Dicimus igitur de Adamo, prius de semine, postea ac de carne, deinde de substantia animae, postremo de illius potentiis, ut eum servemus ordinem quo a primo parente contagio serpit in posteros, infecto semine et carne a qua contaminatur [f.473] anima, et eius potentiae corrumpuntur.

Dubitatur 1^o

Utrum originale peccatum fuerit in Adamo

Praemittenda est distinctio originalis peccati qua aliqui scholasticorum utuntur, praesertim Albertus, scilicet aliud est originale originans aliud vero originale originatum. Originale originans est illud quod fuit prima causa omnium nostrorum originalium peccatorum, et huius subiectum unicum fuit Adamus, quare quaestio non est nisi de originali originato.

Secundo, suppono originale originatum fuisse in Adamo eo saltem modo quo effectus sunt in causa eminenter quamvis non sint in causa formaliter, ut docet D. Thomas, q.83, a.1, corpore, et ad 2¹⁸⁶, unde in q.3 de potentia, a.9 ad 4¹⁸⁷ ait quod sicut in natura Adami erat natura omnium originaliter sic etiam peccatum originale quod est in nobis erat originaliter in peccato primi hominis.

¹⁸⁶ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1, 2^{no}, q.83, a.1 c et ad 2: ed. leon. 7, 100s.

¹⁸⁷ THOMAS AQUINAS, *Quaestiones Disputatae, De Potentia*, q.3, a.9 ad 4: ed. Vivès 1875, t.13, p.70.

Tertio, certum est originale originatum, secundum rationem a qua nomen impositum est non fuisse in Adamo ut in subiecto quoniam peccatum non accepit Adamus a parentibus; de qua ratione nominis, Anselmus, *De conceptu virginali*, cap.1¹⁸⁸.

Igitur quaestio est utrum praetermissa ratione nominis tota essentia et differentia specifica peccati originalis reperta fuerit in Adamo.

1^a sententia est affirmativa, quam tenet expresse Caietanus¹⁸⁹, Conradus¹⁹⁰, Medina¹⁹¹ et Zumel, hac q.83, a.1¹⁹². — Probant quoniam in Adamo fuit privatio originalis iustitiae et concupiscentia; ergo fuit in eo ratio formalis et materialis peccati originalis. Addunt alia argumenta quae soluta sunt in sectione 1, dubio 11¹⁹³, unde petenda est praesentis quaestionis decisio.

Probant praeterea auctoritate D. Thomae in 3 p., q.8, a.5 ad 1¹⁹⁴, dicentis peccatum originale in Adamo quod est peccatum naturae derivatum esse a peccato actuali ipsius quod est peccatum personae, quia in illo persona vitiavit naturam. Similia dicit in 2, d.31, q.1, a.1¹⁹⁵. — Sed D. Thomae mens non est concedere in Adamo peccatum habituale eiusdem speciei nobiscum, sed illud peccatum appellavit originale ut haec vox comprehendit originale originans. Praeterea, non solum in actu Adami sed etiam in eius habituali reatu reperitur duplex formalitas, altera quatenus persona violabat praeceptum Dei sibi impositum sibi que nocumentum

¹⁸⁸ ANSELMUS CANTUARIENSIS, *De conceptu virginali et de originali peccato*, c.1: Venetia 1549, p.78s; PL 158,433.

¹⁸⁹ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1^a 2^{ae}, q.83, a.1: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani, ed. leon. 1.7, p.100s.

¹⁹⁰ CONRADUS KOELLIN, *Expos. comm. in Primam Secundae*, q.83, a.1 ad 2: Venetiis 1589, p.654.

¹⁹¹ B. DE MEDINA, OP, *Expositio in primam secundae Angelici Doctoris D. Thomae Aquinatis*, q.83, a.1: Venetia 1590, p.437.

¹⁹² Franciscus Zumel, *B.M.V. de Mercede*, IN PRIMAM SECUNDAE, Q.83, A.1: Salamanca 1594, p.595.

¹⁹³ ATG 64 (2001), p.272.

¹⁹⁴ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 3 p., q.8, a.5 ad 1: ed. leon. 11, 132.

¹⁹⁵ THOMAS AQ., *Commentum in librum II Sententiarum*, d.31, q.1, a.1: ed. Vivés 8, 420s.

afferebat, altera quatenus tota humana natura in Adamo contenta ut in capite, vitiata erat et digna ut careret originali iustitia, et haec secunda formalitas manabat a prima, supposita dignitate capitis. Hoc igitur intendit D. Thomas et nihil curat utrum haec formalitas qua vitiata est natura in Adamo habeat eandem speciem peccati quam parvuli generatione contrahunt. — Eodem modo [f.473v] loquendi utuntur alii Doctores ut Albertus et Alexander, infra, dicentes in Adamo persona corrumpit naturam et in parvulis natura corrumpit personam. — Aliter explicat Caietanus, 3 parte citata, sed nihil opus est impugnatione.

2^a sententia est originale peccatum non fuisse in Adamo, cuius auctores non solum nomen sed etiam rem et essentiam originalis peccati negare videntur Adamo, quamvis non omnino expriment. Ita Hugo Victorinus, tomo 3 De sacramentis fidei, libro 1, p.7, cap.26¹⁹⁶; Albertus Magnus, 2 p., q.107, mem.4, a.3, particula 2¹⁹⁷; Alexander, 2 p., q.122, mem.5¹⁹⁸; Scotus 2, d.32, § *Circa istam materiam*¹⁹⁹; Almain, 3 Moralium, cap.29²⁰⁰. Maior, 2, d.30, q.2 versus finem²⁰¹; Suarez, 3 p., q.8, a.5, in commentario²⁰².

Colligitur efficaciter ex Ruardo, Capreolo, Conrado, Andrade, Valentia et Turrianus, qui supra, sectione 1, dubio 11²⁰³, dicunt peccatum dici analogice de peccato actuali et originali. Eandem opinionem docere videntur D. Thomas hic, q.83, a.1 c, et ad 2²⁰⁴, dum ait originale peccatum fuisse in Adamo tanquam in

¹⁹⁶ HUGO A STO. VICTORE, *De Sacramentis christianae fidei*, l.1, p.7, c.26: PL 176 298.

¹⁹⁷ B. ALBERTI MAGNI, *Summa Theologiae*, pars 2^a, tract.17, q.107, mem.4, a.3, partic.2: Opera omnia, Paris 1985, vol.33, p.300.

¹⁹⁸ Cf. ALEXANDRI DE ALES, *Summa Theologiae*, p.2, q.105, mem.5: Venecia 1575, fol.272v.

¹⁹⁹ B.IOANNIS DUNS SCOTI, *Commentaria Oxoniensia ad IV libros Magistri Sententiarum*, lib.2, dist.30-32: Quaracchi 1914, 2, p.770.

²⁰⁰ *Aurea clarissimi et acutissimi Doctoris Theologi Iacobi Almain Senonensis. opuscula moralia...* 3, c.19: ed.1517, fol.LXXXI.

²⁰¹ IOANNES MAIOR, *In secundum Sententiarum*, ed.1519, fol.CXXXv.

²⁰² FRANC. SUÁREZ, 3 p., q.8, a.5, in comm.: Opera omnia, Paris 1860, tomo 17, p.614.

²⁰³ ATG 64 (2001), p.274.

²⁰⁴ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1^a 2^{ae}, q.83, a.1 c, et ad 2: ed. leon. 7, 100s.

causa et in eo fuisse secundum rationem actualis peccati, et, De malo, q.5, a.2 ad 4²⁰⁵, dicit peccatum secundum quod omnes peccaverunt in Adamo fuisse actuale, et illi debitam fuisse poenam sensus.

Sit ergo conclusio: originalis peccati non solum nomen sed etiam res et differentia specifica non fuit in Adamo.

Probatur quoniam non solum actus Adami sed etiam reatus habitualis non habuit eam rationem turpitudinis et transgressionis divinae legis et imputabilitatis quam parvuli contrahunt sed habuit aliam specie diversam et ex specie perfectiorem in esse peccati, quod firmiter probatum est sectione 1, dubio 11²⁰⁶, ubi adversariorum argumenta soluta sunt.

Dubitatur 2^o

Utrum in semine, antequam informetur anima rationali, sit originale peccatum

Gemmitius ipsam materiam embrionis, antequam informetur anima rationali existimat subesse originali peccato, ut refert Bellarmino, tomo 3, libro 5 De amissione Gratiae, cap.5, fine²⁰⁷; Valentia, tomo 2, disp.6, q.13²⁰⁸. — Ad hunc errorem probandum adduci possunt 4 argumenta:

—1^{um}, quoniam ab ipsa conceptione incipit originale peccatum, secundum illud Ps. 50 (7) *ecce in iniquitatibus conceptus sum*.

—2^{um} argumentum, quoniam semen immundum est et non alia immunditia nisi originalis peccati; ergo habet originale peccatum. Maior constat Iob 14 (4) *quis potest facere mundum de immundo conceptum semine*.

—3^{um}, quoniam peccatum originale a paren- [f.474] tibus transit ad filios, et non potest transire nisi per semen; ergo recipitur in semine.

²⁰⁵ THOMAS AQ., *Quaestiones disputatae de malo*, q.5, a.2 ad 4: ed. leon. 23, 134.

²⁰⁶ ATG 64 (2001), p.276.

²⁰⁷ ROBERTUS BELLARMINO, *Controversiarum de amissione gratiae I.V*, c.5: Paris 1873, t.5, p.402.

²⁰⁸ GREGORIO DE VALENCIA, SI, *Commentariorum Theologicorum*, t.2, disp.6, q.13: Lyon 1603, col.667s.

Nihilominus sit conclusio prorsus certa: originale peccatum non est prorsus in semine antequam informetur anima rationali, sed tantum est in semine corruptio a qua postea redundat originale peccatum. — Posteriores partes conclusionis tractabimus dubio sequenti. Priorem vero probat ex professo D. Anselmus, De conceptu virginali, cap.3 et 7, explicatque exemplo hominis qui mala voluntate expulit aut sanguinem suum emittit cuius non exterior sanguis vel sputum sed voluntas interior est formaliter ratione sui culpabilis²⁰⁹. Et Hugo de S. Victore, 1 De sacramentis fidei, p.7, cap.31, ait: *in eo quod seminatur nec culpam habet nec actum culpa sed causam*²¹⁰. Eandem conclusionem docet Magister, 2, d.31, § *Quaeri solet* et § ultimo²¹¹, ubi communiter scholastici. D. Thomas, hac q.83, a.1²¹², et De malo, q.4, a.1 ad argumenta et a.3, corpore²¹³; Albertus, 2 p., q.107, mem.3 prope finem, et mem. 4, a.3, particula 1 et 2²¹⁴. Alexander, 2 p., q.122, mem.4²¹⁵. D. Bonaventura, 2, d.31, a.2, q.1²¹⁶, ubi Ricardus eodem articulo et quaestione, ad 4²¹⁷. Scotus, 2, d.32²¹⁸. Driedo, De gratia et libero arbitrio, tract.3, cap.1, p.8²¹⁹. Et declaratio cuiusdam auctoris quae

²⁰⁹ ANSELMUS CANTUARIENSIS, *De conceptu virginali et de originali peccato*, c.3, c.7: Venecia 1549, p.79,81; PL 158, 435, 441.

²¹⁰ HUGO A STO. VICTORE, *De Sacramentis christianae fidei*, l.1, p.7, c.31: PL 176 302.

²¹¹ PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.31, c.6: ed. Quaracchi 1916, t.2, p.471,473.

²¹² THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1^a 2^{ae}, q.83, a.1: ed. leon. 7, 100.

²¹³ THOMAS AQ., *Quaestiones disputatae de malo*, q.4, a.1 et a.3 c: ed. leon. 23, 107; 114.

²¹⁴ B. ALBERTI MAGNI, *Summa Theologiae*, pars 2^a, tract.17, q.107, mem.3; mem.4, a.3, partic.1,2: Opera omnia, Paris 1985, vol.33, p.291; 297, 299.

²¹⁵ Cf. ALEXANDRI DE ALES, *Summa Theologiae*, p.2, q.105, mem.4: Venecia 1575, fol.272.

²¹⁶ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.31, a.2, q.1: Quaracchi, t.2 (1885), p.748s.

²¹⁷ Ricardus de Media Villa, O.M.C., IN SECUNDUM SENTENTIARUM, d.31, a.2, q.1 ad 4: Brixiae 1591, p.391.

²¹⁸ B. IOANNIS DUNS SCOTI, *Commentaria Oxoniensia ad IV libros Magistri Sententiarum*, lib.2, dist.32: Quaracchi 1914, 2, p.766.

²¹⁹ IOANNES DRIEDO A TURNHOUT, *De gratia et libero arbitrio*, lib.1, tract.3, cap.1, parte 8: Lovaina, 1566, tom.3, p.117.

habetur in fine libri D. Anselmi, De conceptu virginali²²⁰. — Ac denique nullus catholicorum contradicit.

Demonstratur quoniam nihil est capax peccati nisi quod est rationis capax saltem ex natura sua, nam virtus et peccatum, honestum et turpe, meritum et demeritum, propria sunt personae intelligentis, ut ex q.74²²¹ facile constat, et quamvis haec ratio evidentius probet peccatum actuale non esse in semine informi, nihilominus paulo obscurius probat non esse peccatum originale, ut ostendemus in dubio 4, conclusione 1.

Confirmatur 1° quoniam alias, si embrio ante formationem animae rationalis interiret, aliqua illius anima damnaretur.

Confirmatur 2° quoniam eadem anima indigeret baptismo ut expiaretur ante mortem. Quae duo sunt satis absurda. — Hic discursus petitus est praecipue ex Anselmo, cap.6 et 7 De conceptu virginali²²².

Ad 1^{um} argumentum respondeo: -1°: conceptio in iniquitatibus referri potest ad instans quo materiae infunditur anima rationalis quoniam tunc homo incipit esse, et constat in eo instanti existere subiectum capax originalis peccati. -2°: si conceptio referatur ad tempus in quo semen nondum informatur anima rationali, responderi potest cum Anselmo in dicto capite 7, propterea hominem dici conceptum in originali peccato quoniam tunc iam adest virtus generandi hominem cum qua virtute coniuncta est necessitas transmittendi originale peccatum: sic enim Sacra Scriptura dicit aliqua tunc fieri quando eorum necessitas inducitur, ut Gn 2 [17] *in quacumque die comederis morte [f.474v] morieris*, id est, mortalis evades unde existat moriendi necessitas. Alia exempla vide apud Anselmum.

Ad 2^{um}, respondeo, semem immundum esse, non quia insit illi peccatum originale sed quoniam inest corruptio et vitium a quo provenit originale peccatum, ut in sequenti dubio.

Ad 3^{um}, respondeo: cum originale peccatum per semen tran-

²²⁰ ANSELMUS CANTUARIENSIS, *Declaratio cuiusdam auctoris*, (al final de *De conceptu virginali*): Venecia 1549, p.87; PL 158, 463.

²²¹ *ATG 59 (1996)*, p.171.

²²² ANSELMUS CANTUARIENSIS, *De conceptu virginali et de originali peccato*, c.6s: Venecia 1549, p.80s; PL 158, 440.

seat in prolem, opus non est formaliter esse in semine: satis est virtute contineri, quoniam non transit migrando de subiecto in subiectum sed producto in filium peccato originali diverso a peccato parentum, veluti ut potentia visiva transeat a parente in prolem opus non est in semine formaliter existere potentiam visivam sed satis est virtute contineri.

Dubitatur 3

Utrum in semine, antequam informetur anima rationali sit aliquod vitium, corruptio vel infectio, a qua redundet postea originale peccatum

Negat Scotus, 2, d.32, circa 2^{um} art., dubio 1 et 2 versus finem ad argumanta 3^{ae} quaestionis²²³, et explicatio Anselmi quae habetur in fine libri *De conceptu virginali*²²⁴; et Zumel, hac q.83, a.1²²⁵. Scoti argumanta sunt:

1^{um}: semen nunquam fuit informatum anima rationali patris; ergo ab illa nullam accepit infectionem. Antecedens probatur quoniam semen est pars alimenti quae non est necessaria ad nutritionem individui; sed alimentum non informatur anima rationali, alias non converteretur postea in substantiam aliti; ergo semen non informatur anima rationali patris. Prima autem consequentia probatur quoniam peccatum originale et infectio non est nisi in anima rationali; ergo semen non potest infectionem originalem peccati accipere ab alio quam ab anima rationali. Confirmat exemplo Anselmi quod in praecedenti dubio rettulimus quoniam semen non magis infectum est originali peccato quam sputum illius qui mala voluntate spuit.

2^{um} argumentum: quoniam etiam si semen accepisset infectionem a patre cum in varias substantiales formas transmuttetur

²²³ B.IOANNIS DUNS SCOTI, *Commentaria Oxoniensia ad IV libros Magistri Sententiarum*, lib.2, dist.32, Ad arg.3^o q.: Quaracchi 1914, 2, p.776.

²²⁴ S.Anselmus Cantuariensis, *De conceptu virginali et originali peccato*, PL 158 463.

²²⁵ Franciscus Zumel, *B.M.V. de Mercede*, IN PRIMAM SECUNDAE, Q.83, A.1: Salamanca 1594, p.595.

antequam informetur anima rationali amittet infectionem illam quam praecipue ratione formae habere videtur, quod si infectio praecedentis formae causa est ut infectio resultet etiam in sequenti, eadem ratione ab hominis cadavere transiret infectio originalis peccati in leonem qui hominis cadaver devorat et in suam substantiam convertit.

3^{um} argumentum: quoniam semen viri non habet maiorem infectionem quam femineum semen aut caro cuiusque hominis, sed haec nullam habent infectionem; ergo nec virile semen. Probatur minor, quoniam si de semine foeminae aut ex carne hominis miraculose formaretur homo, non contraheret originale peccatum: infra, sect.5, dub.6; ergo non habent infectionem et vitium quae sint causa originalis peccati.

Ex Anselmi explicatione duo tantum colligo ad rem praesentem: alterum est quo probat in semine non esse fomitem peccati quoniam in semine non est peccatum, et ubi [f.475] non est peccatum nihil est quod peccatum foveat... Alterum est quo probat in semine nihil corruptionis esse ultra naturalem corruptibilitatem propter quam homo nascitur corruptibilis: haec autem corruptibilitas non est causa originalis peccati, quoniam eadem fuit in Christo Domino.

Sit 1^a conclusio: in semine, ante infusionem animae rationalis, inest vitium, corruptio et pollutio quaedam, et hoc vitium carnis probatur ex effectu, quoniam cum anima infunditur, ex coniunctione cum carne maculatur sicut in vase ostenditur esse vitium cum vinum infusum ascesit.

Haec universa conclusio est Hugonis de Sto. Victore, loco citando in conclusione 3, fine; Magistri, Alberti, Alexandri, Ricardi et Driedonis, locis citatis in praecedenti dubio; D.Thomae, 2, d.30, q.1, a.2 in solutione 3 et 4²²⁶, quem sequitur Capreolus, d.31, a.1, concl.3²²⁷; eandem conclusionem in re concedit Scotus cum aliis Doctoribus; imo nec voce

²²⁶ THOMAS AQ., *In 2^{um} Sententiarum*, d.30, q.1, a.2 ad 3 et 4: ed. Vivès 1873, 8, 403.

²²⁷ I. CAPREOLUS, *OP, Defensiones Theologiae D. Thomae Aquinatis*, Turín 1903, t.4, p.349.

negavisset Zumel, nisi existimaret esse solius Alberti sententiam.

Conclusionem probat D.Thomas 4 Contra Gentes cap.50, n.4²²⁸, ex Iob, c.14, [4] *quis poterit facere mundum de immundo conceptum semine*, quo, (inquit D.Thomas,) manifeste accipitur quod ex immunditia humani seminis aliqua immunditia ad hominem ex semine conceptum provenit, quod oportet intelligi de immunditia peccati per quam solum homo in iudicium deducitur praemittitur enim: *et dignum ducis super huiuscemodi aperire oculos tuos et adducere eum tecum in iudicium?* Eodem discursu utitur auctor libri Hypognosticon, lib.5, col.4²²⁹, atque eodem spectat immunditia concupiscentiae quam hoc loco intelligit D. Gregorius 11 Moralis expositionis fine²³⁰. Similis expositio tribuitur Olimpodoro et Philipo monacho in commentario Iob cap.14²³¹.

Probatur 2º ex Augustino, De nuptiis et concupiscentia, lib.2, cap.8²³², ubi ait in humano semine ultra naturam a Deo conditam inesse vitium et maledictionem a quo provenit originale peccatum, et probat ex illo Sapientiae 12, [11] *semen enim maledictum erat ab initio*, quod, licet de antiquis habitatoribus Palaestinae dictum sit, Augustinus tamen accipit quasi dictum ratione universalis peccati a quo illi nondum erant expiati ut filii Israel. — Explicator Anselmus, supra citatus, contendit Augustinum hoc loco seminis nomine intelligere homines, ut Ioannes 8 [33] *semen Abrahae sumus*, et consonant verba adducta ex Sapientia 12, verumtamen contextus Augustini ostendit non solum homines sed etiam semen ante infusionem animae vitiatum constitui. — Ex hoc loco Augustini collegisse videtur similem sententiam auctor libri Hypognosticon, libro 2 prope initium²³³, ubi illud Gn 3 [17] *maledicta terra in opere tuo*, refert ad maledictionem humani seminis quo etiam testimonio utitur

²²⁸ THOMAS AQ., *Summa contra Gentiles*, l.4, c.50: ed. leon. 15, 159.

²²⁹ PL 45, 1436s.

²³⁰ Gregorius Magnus, MORALIUM, l.11, c.ult.: PL 75, 986.

²³¹ Olimpidorus Alexandrinus, COMMENTARIUM IN BEATUM JOB, 14, 4.5: PG 93, 166.

²³² Augustinus, *De nuptiis et concupiscentia*, l.2, c.8: PL 44 447.

²³³ PL 45, 1145.

Albertus citatus, sed hic intellectus *ut literalis* sit, videtur esse violentus, sed tolerari potest *ut mysticus*.

Colligitur praeterea conclusio ex Cyrillo, libro 12 in Leviticum, col.3²³⁴, dicente omnem hominem pollutum esse in patre et in matre, quod non potest verificari nisi ratione seminis. Sic Ambrosius, [f.475v] De paradiso, cap.13²³⁵, et Chrysostomus apud Augustinum, 2 In Iulianum, col.11 peccatum omnium hominum in lumbis et semine primi parentis contineri significatum fuisse in utile foliorum termine [tegmine?] quo lumbos atque verendi operuit²³⁶, et Olimpius, apud Augustinum, eodem libro, col.3, ait vitium sparsum esse in germine ut peccatum cum homine nascatur.

Ratione probatur, quoniam ut vidimus in praecedenti dubio, peccatum originale non est in semine formaliter sed tantum ut in causa; ergo in semine aliquid est formaliter quod sit ratio causandi et quasi virtus causativa peccati originalis; haec igitur dicitur vitium et corruptio.

Sed examinare oportet quid sit corruptio sive infectio haec, nam realem qualitatem morbidam esse affirmabat Gregorius et alii citati in praecedenti dubio 18. — Capreolus vero, 2, d.31, a.1 ad 1, contra 3 conclusionem, et ad 4 argumentum²³⁷, quamvis sub dubio concedit in semine esse qualitatem quandam intentionalem quam propterea dicit non esse realem quia non habet esse fixum et permanens, ut calor, quare videtur huius qualitatis esse intentionale constituere ad modum specierum quae ab obiectis recipiuntur in sensus. Favet D.Thomas, De malo, q.4, a.1 ad 9²³⁸, sed explicabitur infra, conclusione 3.

Sit ergo 2^a conclusio: in semine nulla est qualitas ratione cuius originale peccatum traducatur praeter eas qualitates quae essent in semine humano in puris naturalibus, nulla inquam qualitas cuius esse detur ante opus intellectus, sive dicatur

²³⁴ Cyrilli Archiep. Alex., IN LEVITICUM, l.12, col.3s: Paris 1573, col.140s.

²³⁵ S. Ambrosius, DE PARADISO, c.13: PL 14, 325, n.67.

²³⁶ PL 44 685.

²³⁷ I. CAPREOLUS, OP, *Defensiones Theologiae D. Thomae Aquinatis*, Turin 1903, t.4, p.355.

²³⁸ THOMAS AQ., *Quaestiones disputatae de malo*, q.4, a.1: ed. leon. 23, 107.

intentionalis sive realis et fixa. Ita D.Thomas citandus in sequenti conclusione, Scotus et alii adducti pro 1^a sententia; Caietanus, q.81, a.1²³⁹, ubi Conradus²⁴⁰, et q.83, a.1, corpore²⁴¹; Ferrariensis, 4 Contra Gentes, c.50, ratione 4²⁴²; Driedo, 1^o De Gratia et libero arbitrio, tract.3, cap.1, p.8 sub finem²⁴³.

Probatur 1^o quoniam culpa originalis nihil reale est; ergo nulla opus habet virtute reali existente in semine per quam producat.

Probatur 2^o quoniam peccatum originale non efficitur proprie in generatione, sed communicatur peccatum iam factum; ergo non opus est concedere semini virtutem quae directe causet originale peccatum, sed satis est si peccatum resultet ex effectu causato in semine, ut explicabitur in sequenti conclusione et in sectione 5, dubio 4. Eandem conclusionem probant argumenta adducta pro 1^a sententia, et quae sectione 1, dubio 18 adduximus contra morbidam qualitatem realiter distinctam a natura hominis.

3^a conclusio: vitium, infectio et corruptio seminis dicit de materiali realem virtutem generativam hominis disponendo materiam ad recipiendam formam realem et concurrente ad illius unionem. De formali autem dicit duo: alterum est denominatio extrinseca a concomitantia qua originale peccatum necessario comitatur naturam humanam, supposito quod Adamus peccaverit et supposito quod natura humana communicetur naturali generatione ex virili semine, per quam generationem filius coniungitur [f.476] cum Adamo ut membrum cum capite, et secundum hunc modum immunditia et corruptio seminis est virtus producendi hominem immundum et corruptum originali peccato; sed observandum est in semine non esse virtutem directe

²³⁹ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1^o 2^o, q.81, a.1: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani, ed. leon. t.7, p.89.

²⁴⁰ CONRADUS KOELLIN, *Expos. comm. in Primam Secundae*, q.81, a.1 ad 1: Venetiis 1589, p.645.

²⁴¹ ID. *Ibid.* q.83, a.1 c: *ibid.* p.652s.

²⁴² FRANCISCI DE SYLVESTRIS FERRARIENSIS, OP, *Sancti Thomae Aquinatis Doctoris Angelici, Summa catholicae fidei Contra Gentiles cum commentariis...*: ed leon. oper. Sti.Thom. t.15, Roma 1930, p.161.

²⁴³ IOANNES DRIEDO A TURNHOUT, *De gratia et libero arbitrio*, lib.1, tract.3, cap.1, parte 8: Lovaina, 1566, p.117.

productivam peccati, sed ut dixi, per concomitantiam. Dessumpta sunt haec ex D.Thoma, q.81, a.1 ad 2 et 4, sed praesertim ad 3^{um} argumentum²⁴⁴; et recte explicantur a Caietano²⁴⁵, Ferrariensi, Driedo et aliis citatis, et Capreolus citatus in conclusione 1 sub distinctione haec etiam admittit, et hoc tantum voluit D.Thomas in q.4 De malo, a.1 ad 9²⁴⁶, dicens intentionem peccati originalis esse in semine sicut est in aere intentio coloris et in semine intentio naturae humanae. Nam ibidem D.Thomas explicat intentionem esse virtutem causandi quam non est necessarium esse ens reale nisi quando effectus producendus est ens reale; quare intentio originalis peccati non debet esse ens reale.

Alterum quod de formali includitur in vitio seu corruptione seminis est privatio impassibilitatis et incorruptibilitatis et subiectionis perfectae ad animam, quas perfectiones haberet semen generantis cum originali iustitia et tunc esset instrumentum conveniens quo originalis iustitia per generationem transmitteretur ad filios, et quoniam his perfectionibus privatum est semen, redditur instrumentum aptum quo per generationem transmittatur originale peccatum. Sic Hugo Victorinus, 1 De sacramentis, p.7, cap.31²⁴⁷, ait corruptibilitatem et mortalitatem seminis causam esse originalis peccati in prole; et haec doctrina colligitur ex D.Thoma, 2, d.30, q.1, a.2 in solutione 3 et 4²⁴⁸, quem sequitur Capreolus, 2, d.31, a.1, conclusione 3 fine²⁴⁹, et Ferrariensis citatus.

Ad huius explicationem notandum est 1^o: opus non esse ut in statu innocentiae existeret in semine realis aliqua virtus directe causativam iustitiae originalis sed ad ea quae nuper diximus satis erat decretum Dei propagandi originalem iustitiam simul cum

²⁴⁴ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1^o 2^o, q.81, a.1 ad 2,3,4: ed. leon. 7, 88.

²⁴⁵ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1^o 2^o, q.81, a.1: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani, ed. leon. t.7, p.88s.

²⁴⁶ THOMAS AQ., *Quaestiones disputatae de malo*, q.4, a.1: ed. leon. 23, 107.

²⁴⁷ HUGO A STO. VICTORE, *De Sacramentis christianae fidei*, l.1, p.7, c.31: PL 176 302.

²⁴⁸ THOMAS AQ., *In 2^{um} Sententiarum*, d.30, q.1, a.2 ad 3 et 4: ed. Vivès 1873, 8, 403.

²⁴⁹ I. CAPREOLUS, OP, *Defensiones Theologiae D. Thomae Aquinatis*, Turin 1903, t.4, p.350.

naturali propagatione humanae naturae.

2^o: perfectam subiectionem seminis ad animam deesse dicimus propter peccatum, quoniam parentes ad libidinem provocat etiam invitos, sed in statu innocentiae non provocaret, quod inditium est parentes et eorum semen esse causas aptas ad traductionem originalis peccati.

3^o: quo sensu verum sit quod Augustinus et alii Doctores asserunt vitium et pollutionem seminis contrahi ex fervore coitus et concupiscentiae, explicabimus infra sectione 5, dubio 7; vide etiam quae dicemus dubio 5 praesentis sectionis.

4^o: quaeri solet utrum vitium et corruptio sit tantum in semine paterno. — Nam etiam [f.476v] in materno semine existere docet, quamvis sub dubio, Capreolus 2, d.31, q.unica, a.3 ad 4 contra 3 conclusionem²⁵⁰. Et probari potest ex dictis in conclusione 3 nam quod in materno semine existat privatio incorruptibilitatis et perfectae subiectionis ad animum aperte constat; quod autem in eadem sit virtus generativa hominis corrupti probari potest tum quoniam secundum Galleni sententiam foemineum semen effective concurrat ad generationem, tum praesertim quoniam quamvis cum D.Thoma, 3 p., q.31, a.5, et q.32, a.4²⁵¹, existimet foemineum semen nihil efficere immediate ad generationem sed tantum remote preparando materiam immediatam generationis, adhuc causa est hominis naturaliter geniti ac proinde videtur esse causa originalis peccati quae hominem consequitur.

Nihilominus sit 4^a conclusio: vitium et corruptio de qua loquimur est in paterno semine et non in materno. Ita Ferrariensis, 4 Contra Gentes, cap.50, ratione 4²⁵², et videtur idem sentire Conradus, q.83, a.1, concl.2²⁵³, et valde favet Caie-

²⁵⁰ I. CAPREOLUS, OP, *Defensiones Theologiae D. Thomae Aquinatis*, Turin 1903, t.4, p.355.

²⁵¹ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 3 p., q.31, a.5; q.32, a.4: ed. leon. 11, 327s; 337.

²⁵² FRANCISCI DE SYLVESTRIS FERRARIENSIS, OP, *Sancti Thomae Aquinatis Doctoris Angelici, Summa catholicae fidei Contra Gentiles cum commentariis...*: ed leon. oper. Sti.Thom. t.15, Roma 1930, p.161.

²⁵³ CONRADUS KOELLIN, *Expos. comm. in Primam Secundae*, q.83, a.1, concl. 2: Venetiis 1589, p.653.

tanus, q.81, a.4, fine²⁵⁴.

Ratio est quoniam paternum semen est unicum et adaequatum vehiculum originalis peccati ita ut peccatum transmittat ad omnem hominem qui paternum genus ab Adamo duxerit etiamsi mater illius creata fuisset a Deo in originali iustitia et in eadem iustitia concepisset; e contra vero liber erit ab originali peccato quicumque paterno genere ortus non esset ex Adamo quamvis ex filia Adami conceptus fuisset, ut ostendemus infra, sec.5, dubio 7. Itaque, quoniam virtus generativa quae est in materno semine et corruptibilitas et privatio perfectae subiectionis ad animam nec simpliciter requiruntur nec sufficiunt ut traducatur originale peccatum, ideo absolute numeranda non sunt inter vitia et corruptiones a quibus provenit originale peccatum, quamvis aliquo modo ad illud pertineant quoniam congruentius est filios infectos ex infecta quam ex perfecta et integra matre oriri.

Ad argumenta in principio proposita, respondeo ad 1^{um}, omisso antecedente negatur consequentia, et ad eius probationem respondeo: aliqua infectio et corruptio participatur ab anima rationali parentis quamvis semen non informetur ab illa, quatenus semen ab anima parentis accipit virtutem generandi filium cum originali peccato et accipit carentiam incorruptibilitatis et perfectae subiectionis quibus proportionatum redditur ut peccatum originale transmittat, supra conclusione 3. — Ad confirmationem respondeo: Anselmus intendit probare nullam realem qualitatem morbidam esse in semine et praeterea in illo non esse formaliter originale peccatum sed minime negat corruptionem quam explicuimus conclusione 3.

Ad 2^{um} negatur consequentia, quoniam ut semen per varias formas transmutatum non amittit vim producendi hominem spoliatum originali iustitia nec amittit corruptibilitatem et vim producendi libidinem, ita non amittit suam corruptionem et infectionem [f.477] nec inde sequitur in leone devorante cadaver hominis causari similem infectionem quoniam subiectum incapax est illius; imo quamvis homo devoret hominis cadaver non

²⁵⁴ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1^a 2^{ae}, q.81, a.4: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani, ed. leon. t.7, p.92.

participabit hanc infectionem quoniam haec infectio non communicatur nisi uniendo hominem cum Adamo ut filios ab illo naturali propagatione venientes. Denique cum haec infectio secundum formalem rationem non sit ens reale sed morale non participatur nisi per moralem activitatem in id quod morali coniunctione unitur.

Hinc constat solutio 3 argumenti: nam sive ex semine patris sive matris supernaturaliter formaretur homo, ille non contraheret originale, quia infectio seminis non agit nisi naturali generatione uniendo filium primo parenti. De his fusius Capreolus citatus. Vide etiam sectionem 5, dubium 6.

Ad 4 respondeo: modum illum loquendi quo in semine dicatur esse fomes peccati, apud Doctores probatos non reperio; potest tamen explicari ut comparatione parentum quod semen ad libidinem provocat dicatur esse fomes peccati sed non sublata hac comparatione.

Ad 5 respondeo: corruptibilitas eadem quae in Christo Domino fuit et fuisset in homine creato in puris naturalibus non est poena originalis peccati ab illo proveniens nec est privatio debitae incorruptibilitatis, verumtamen corruptibilitas in homine naturaliter genito in Adamo et in illius semine est carentia immortalitatis debitae et est coniuncta cum vi causativa hominis infecti originali peccato, et propterea est corruptio et infectio.

Dubitatur 4

Utrum originale peccatum sit in carne vel in anima

Membrum 1^{um}: proponuntur argumenta

Nomen carnis aliquando significat compositum ex forma et materia quibusdam peculiaribus dispositionibus affectata, sed in praesenti aliter accipitur a Doctoribus, ut caro sit sola materia ultimis dispositionibus affectata praecisa per intellectum anima rationali.

Calvinus, 2 Institutionum, cap.1, § 9²⁵⁵, ita loquitur:

²⁵⁵ JUAN CALVINO, *Institucion de la Relijion cristiana*, compuesta en cuatro libros. L.2, cap.1, n° 9: 1597, 2ª edición, Madrid 1858, pág.150s.

crassam inscitiam detexit Petrus Lombardus qui sedem investigans dixit in carne esse peccatum originale. — Eiusdem inscitiae notare potuisset Ambrosium et Augustinum, a quibus suam sententiam deprompsit Lombardus; imo impudentem mentiendi libidinem Calvinus hic detexit, cum Magister Sententiarum originale peccatum dixerit formaliter non esse in carne sed tantum esse ut in causa, ut infra videbimus.

Quod peccatum originale non sit in anima sed tantum in carne probari potest: 1^o quia peccatum originale contrahimus quatenus in primo parente fuimus omnes, ratione potentiae generandi sed generativa potentia non attingit rationalis animae productionem sed productionem carnis; ergo originale peccatum non potest [f.477v] transire ad animam sed ad solam carnem. — Confirmatur quoniam secundum carnem et non secundum animam sumus filii, membra et haeredes primi parentis; ergo secundum carnem et non secundum animam contrahimus eius culpam.

2^{um} argumentum: anima rationalis creata a Deo corpori infunditur; si igitur anima contraheret originale peccatum ex unione cum carne sequeretur Deum qui creat et infundit animam rationalem auctorem esse peccati originalis.

3^{um}: nullum sapiens pretiosum liquorem infecto vasi infunderet, a quo sciret inficiendum esse; sed anima rationalis pretiosior est omni liquore; si ergo anima rationalis ex corporis unione infici potest infectione originalis culpae, Deus qui est summa sapientia numquam animam corpori infunderet; sed infundit; ergo anima non contrahit originale peccatum sed illud manet in carne.

Arguitur 4: quoniam si anima ex carne culpam et poenam contraheret, alienum foret a perfectione divinae iustitiae animam nulla illius culpa praecedente in corpus ut in carcerem detrudere obstricta non solum reatu culpae sed etiam aeternae poenae. Quod probatur quia alienum esset a perfectione iustitiae hominem nulla praecedente culpa damnare aeterno supplicio: sed maius malum est culpa; ergo alienum est a divina iustitia nulla praecedente culpa animae illam unire corpori a quo culpam et aeternam poenam contrahat.

5. Quoniam si anima ante infusionem uteretur ratione et recusaret unionem corporis ne contraheret originalem culpam non

esset iustum eam corpori infundere; ergo non erit iustum eam infundere etiamsi non recuset quando non utitur ratione.

Praeterea peccatum originale esse in carne praecipue quamvis in anima sit minus principaliter probari potest:

1^o quoniam effectus originalis peccati in carne sunt principalius quam in anima; ergo et ipsum originale peccatum. Antecedens probatur quoniam praecipuus effectus est concupiscentia, et tamen illa principalius est in carne, ad Rom 7, et ad Galatas...

2^{um} argumentum: quoniam unumquodque principalius est in causa quam in effectu; sed caro causat originale peccatum in anima; ergo peccatum originale in carne est principalius quam in anima.

3^{um} argumentum: quoniam poena respondet culpae; sed poena originalis peccati est mors quae non est solius animae sed coniuncti; ergo peccatum originale non est in sola anima sed in coniuncto.

Membrum 2: Quaestionis decisio

Conclusio: Originale peccatum formaliter non est in carne sed in anima rationali, ut aperte docet Anselmus, *De conceptu virginali* cap.3 et 4²⁵⁶; Hugo de Sancto Victore, 1 *De Sacramentis*, p.7, cap.35²⁵⁷, [f.478] (quamvis cap.31 videatur sentire originale peccatum partim esse in carne partim in anima, quoniam in carne constituit concupiscentiam et ignorantiam in mente); Magister, 2, d.31, § *Ideoque ipsum peccatum*²⁵⁸; D.Thomas, q. 83, a.2²⁵⁹, ubi Caietanus²⁶⁰, Conradus²⁶¹, et omnes eius

²⁵⁶ ANSELMUS CANTUARIENSIS, *De conceptu virginali et de originali peccato*, c.3s: Venecia 1549, p.79s; PL 158, 436s.

²⁵⁷ HUGO A STO. VICTORE, *De Sacramentis christianae fidei*, l.1, p.7, c.35: PL 176 303.

²⁵⁸ PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.31, c.5: ed. Quaracchi 1916, t.2, p.470.

²⁵⁹ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1^a 2^{ae}, q.83, a.2: ed. leon. 7, 101s.

²⁶⁰ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1^a 2^{ae}, q.83, a.2: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani, ed. leon. t.7, p.102.

²⁶¹ CONRADUS KOELLIN, *Expos. comm. in Primam Secundae*, q.83, a.2: Venetiis 1589, p.655.

discipuli, et De malo, q.4²⁶²; Parisiensis, tomo 1, tract. De vitiis et peccatis, cap.4²⁶³, et Altissiodorensis, libro 2, tract.27, cap.1, p.2, et cap.4²⁶⁴; Albertus, 2 p., tract.17, q.107, mem.4, a.3, particula 1²⁶⁵; Alexander 2 p., q.122, mem.4²⁶⁶; D.Bonaventura 2, d.31, a.2, q.1²⁶⁷; Henricus, quodlib.1, q.21²⁶⁸; Gerson, 2 p., tract.8 De vitiis naturae et voluntatis, cap. de originali, alphabeto 18, litt.L; Scotus 2, d.32²⁶⁹; Ricardus, d.31, a.2, q.1²⁷⁰, ubi Durandus, q.1 et 3²⁷¹; Driedo, 1 De gratia et libero arbitrio, tract.3, cap.3, parte 4, consideratione 3²⁷².

Probat D.Thomas, quoniam idem est subiectum peccati atque virtutis; sed virtutis subiectum primario et per se non potest esse nisi rationalis anima; ergo sola anima rationalis et non caro est subiectum in quo formaliter residet originale peccatum. Maior evidens est, tum quoniam contraria debent esse circa idem, tum etiam quoniam peccati subiectum non potest esse nisi quod potest cognoscere honestum et turpe et unum amare repudiato alio, supra q.74, minor vero explicatur ex eiusdem quaestionis, a.3 et 4²⁷³, et ex q.56, a.4, quoniam quamvis virtutes, vitia atque peccata sint

²⁶² THOMAS AQ., *Quaestiones disputatae de malo*, q.4, a.3: ed. leon. 23, 114.

²⁶³ Guilielmus Parisiensis, *De vitiis et peccatis*, c.4: Ambiani 1674, t.1, p.266.

²⁶⁴ *Guilielmus Altissiodorensis*, AUREA SUMMA IN QUATUOR SENTENTIARUM, tract.27, c.1: fol.97; c.4: fol.98.

²⁶⁵ B. ALBERTI MAGNI, *Summa Theologiae*, pars 2^a, tract.17, q.107, mem.4, a.3, partic.1: Opera omnia, Paris 1985, vol.33, p.297.

²⁶⁶ Cf. ALEXANDRI DE ALES, *Summa Theologiae*, p.2, q.105, mem.4: Venecia 1575, fol.272.

²⁶⁷ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.31, a.2, q.1: Quaracchi, t.2 (1885), p.748s.

²⁶⁸ HENRICUS GOERBALS A GANDAVO, *Quodlibeta*, Quodl.1, Quaest.21: Paris 1528 (Reprod. Lovaina 1961,) fol. XX D.

²⁶⁹ B. IOANNIS DUNS SCOTI, *Commentaria Oxoniensia ad IV libros Magistri Sententiarum*, lib.2, dist.32: Quaracchi 1914, 2, p.773.

²⁷⁰ Ricardus a Media Villa, IN SECUNDUM SENTENTIARUM, d.31, a.2, q.1: Brixiae 1591, p.391.

²⁷¹ DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 2, d.31, q.1, q.3: Amberes 1566, fol. 184s.

²⁷² IOANNES DRIEDO A TURNHOUT, *De gratia et libero arbitrio*, tract.3, cap.3, parte 4, consideratione 3: Lovaina, 1566, p.130.

²⁷³ ATG 59 (1996), p.171-228.

in appetito sensitivo, verum in illo non sunt primario, sed ut obiecta et actus exteriores alicuius malae voluntatis a qua accipiunt denominationem peccati; itaque quamvis caro sit pars hominis ratione utentis non potest in se formaliter recipere originale peccatum.

Ac ne forte dicas carnem non esse capacem peccati personalis sed originalis peccati esse capacem, notandum est in culpa originali non solum esse rationem voluntariae et imputabilis transgressionis participatae ab actu Adami, sed praeterea proprie esse reatum culpae, carentia gratiae, dignitatem odii, aversionem a Deo et similia, quae formaliter existere non possunt nisi in subiecto rationis capaci ex natura sua, alioqui non erit capax obligationis, gratiae Dei, amicitiae, amoris in Deum et conversionis ad illum; unde non erit capax oppositae privationis. — Confirmatur quoniam defectus qui sunt in carne ut mortalitas et passibilitas propterea non pertinent ad partem materialem originalis peccati proprie quoniam caro non est peccati capax, sect.1, dubio 17 sub finem²⁷⁴.

Sed ut melius conclusionem et eius rationem teneamus recolendum est duas esse quasi partes originalis peccati. Alia enim est ratio formalis, scilicet carentia iustitiae originalis seu gratiae iustificantis et aversio a Deo, et de hac compertum est recipi in sola anima rationali immediate, quamvis ab illa totus homo denominetur peccator et inimicus Dei et odio dignus. Altera pars quasi [f.478v] materialis est concupiscentia et ignorantia, et de ignorantia constat esse formaliter in intellectu animae rationalis quamvis eius occasio et quasi causa sit cognitio sensuum a qua pendet cognitio intellectus. — In concupiscentia vero, supra sect.1, dubio 16²⁷⁵, diximus praecipuam partem esse voluntatem hominis in quantum potest ex se appetere aliquid contra rationem vel consentire inordinatis motibus appetitus sensitivi connotando privationem iustitiae originalis, et hanc praecipuam partem concupiscentiae constat esse formaliter in anima rationali, partim secundum se praecise, partim vero ut potest et debet gubernare

²⁷⁴ ATG 64 (2001), p.335.

²⁷⁵ ATG 64 (2001), p.320.

appetitum sensitivum.

Restat igitur difficultas de sola ea parte concupiscentiae quae est appetitus sensitivus, quem, probabilior sententia constituit ut in subiecto in sola materia in qua reliqua accidentia corporea media quantitate recipiuntur, de quo non est nobis modo disputandum, cum pertineat ad 1 librum Physicorum, ubi de materia prima; caeterum appetitus sensitivus ita est in materia prima ut ab anima rationali praecipue dependeat, ut reliquae potentiae vitales corporeae; et hoc tantum intendunt Doctores theologi qui dicunt concupiscentiam non esse in carne sola sed in toto composito ac praecipue in anima. Ita Magister, 2, d.31, § 2 et 3²⁷⁶, ubi communiter scholastici, praesertim qui citati sunt sect.1, dubio 16²⁷⁷, et Albertus, 2 p., q.108, mem.1 et 2²⁷⁸; Alexander, 2 p., q.122, mem.7²⁷⁹.

Membrum 3: Explicata origine animae solvitur argumentum primum

1^{um} ex his quae membro 1 proposita sunt argumentum 1^{um} semper Augustino difficillimum ac paene insolubile visum fuit, quapropter in quaestione *Utrum anima rationalis sit ex traduce*, id est utrum per generationem producat a parentibus vel potius a solo Deo creetur, quamvis Augustinus facile dissolverit alia omnia argumenta in epistola 28 ad Hieronimum²⁸⁰, verumtamen in eadem epistola atque in 127 ad Optatum²⁸¹, ingenue confitetur se nec legendo nec orando nec ratiocinando invenire potuisse quomodo cum animarum creatione peccati originalis traductio consentiat.

²⁷⁶ PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.31: ed. Quaracchi 1916, t.2, p.469.

²⁷⁷ *ATG 64 (2001)*, p.311.

²⁷⁸ B. ALBERTI MAGNI, *Summa Theologiae*, pars 2^a, tract.17, q.108, mem.1, 2: Opera omnia, Paris 1985, vol.33, p.303.

²⁷⁹ Cf. ALEXANDRI DE ALES, *Summa Theologiae*, p.2, q.105, mem.7, a.3: Venecia 1575, fol.274.

²⁸⁰ Augustinus, Epistularum clasis III, *De origine animae hominis*, liber seu epistula CLXVI (alias 28): PL 33, 720.

²⁸¹ Id. Ibid. PL 33,725. Epistula CXC (alias 157) Optato: PL 33,857.

2º, quoniam alterius negotii est de origine animae ex professo disputare, lectorem remitto ad Doctores. Praesertim videndi sunt Hugo de Sancto Victore, De sacramentis fidei, libro 1, p.7, cap.30²⁸²; Magister, 2, d.17 initio, et 18 fine, et 31 initio²⁸³; Gulielmus Parisiensis, tomo 1, tractatu De vitiis et peccatis, cap.8 a medio dum Platonis errorem impugnat²⁸⁴; Albertus, 2 p., q.72 et 73²⁸⁵; Alexander, 2 p., q.40²⁸⁶; D.Thomas, 1 p., q.118, a.2 et 3²⁸⁷, et 2 Contra gentes, cap.86²⁸⁸, et obiter, 1ª 2ª, q.81, a.1, arg.2, ²⁸⁹, et 4 Contra gentes, cap.51 et 52 ad 3²⁹⁰; D.Antoninus, 1 p., tit.8, cap.1 fine²⁹¹; Scholastici communiter 2, d.17 et 18; D.Bonaventura, d.18, a.2, praesertim q.2 et 3 (qui postea in d.31, a.1, q.1, tractat utrum saltem anima sensitiva hominis diversa ab anima rationali sit ex traduce)²⁹²; Bellarmino, tomo 3, libro 4 De amissione gratiae, c. [f.479] 11²⁹³; Valentia, tomo 1, q.8, de origine animae puncto 2²⁹⁴.

3º, Breviter tamen reiiciendus est error affirmantium animam rationalem esse ex traduce, scilicet a parentibus recipi non minus quam aimas brutorum animantium, ut sensit Tertullianus, Apollinaris et multi occidentalium, et tribuitur luciferianis; imo eundem

²⁸² HUGO A STO. VICTORE, *De Sacramentis christianae fidei*, l.1, p.7, c.30: PL 176 299.

²⁸³ PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 3, d.17, d.18, d.31: ed. Quaracchi 1916, t.2, p.382, 392, 468.

²⁸⁴ GUILJELMUS PARIENSIS, *De vitiis et peccatis*, c.8: Ambiani 1674, t.1, c.8, p.280.

²⁸⁵ B. ALBERTI MAGNI, *Summa Theologiae*, pars 2ª, tract.12, q.72, 73: Opera omnia, Paris 1985, vol.33, p.33, 52.

²⁸⁶ Cf. ALEXANDRI DE ALES, *Summa Theologiae*, p.2, q.61, mem.2: Venecia 1575, fol.103v; ed. Quaracchi, t.2, p.400.

²⁸⁷ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 p., q.118, a.2 et 3: ed. leon. 5,566,569.

²⁸⁸ THOMAS AQ., *Summa contra Gentiles*, l.2, c.86: ed. leon. 13, 535s.

²⁸⁹ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1ª 2ª, q.81, a.1: ed. leon.7, 88.

²⁹⁰ THOMAS AQ., *Summa contra Gentiles*, l.2, c.51s: ed. leon. 15, 162ss.

²⁹¹ S.Antoninus, 1ª PARS, TITULO VIII, c.1, Lyon 1529, p.96.

²⁹² S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.18, a.2, q.2, q.3: Quaracchi, t.2 (1885), p.449,453. D.31, a.1, q.1: p.742.

²⁹³ ROBERTUS BELLARMINO, *Controversiarum de amissione gratiae l.IV*, c.11: Paris 1873, t.5, p.359-368.

²⁹⁴ GREGORIO DE VALENCIA, SI, *Commentariorum Theologicorum*, t.1, disp.6, q.8, p.2: Lyon 1603, col.1187.

errorem Nicetas Ladibrensis episcopus imponebat Gregorio Nazianceno, quem defendit Turrianus in epistola de originali peccato sub finem 1^{ae} quaestionis. — E contrario vero animam rationalem non gigni a parentibus sed a solo Deo creati fuit constans Ecclesiae dogma traditurque ab Hilario, Ambrosio, Hieronymo, Crysostomo, Gregorio Nyseno, Teodoreto, Cirillo, Leone Papa, auctore libri De Ecclesiae dogmatibus subscribente universo scholasticorum coetu. Sanctorum testimonia exstant apud Bellarmino et Valentia citatos.

Praecipuum fundamentum: quoniam si anima rationalis produceretur per generationem educeretur de potentia materiae, in hoc enim consistit ratio actionis qua forma producitur per generationem; quod si anima rationalis educeretur de potentia materiae, non esset independens a materia in esse et conservari quoniam pendet in fieri; quare non esset immortalis, et praeterea non esset spiritualis sed corporea.

Iuvant aliquid ea testimonia Sacrae Scripturae quae affirmant spiritum hominis a Deo datum esse, ut Gn 2 [7]: *inspiravit in faciem eius spiraculum vitae*; Zach 12 [1]: *fingens spiritum hominis in eo*; sed per se sola non plane convincunt, ut notat Augustinus, epist.28²⁹⁵.

5°. Alii errores circa animae originem, ut quod sit particula substantiae Dei ab illo mirabiliter inspirata aut quod productae fuerint omnes animae rationales simul cum angelis et propter peccata in corpora tanquam in carceres detrudantur, magis distant a nostro instituto. Videri possunt apud Doctores citatos n° 1.

6. Ut ergo veniamus ad 1^{um} argumentum, eadem fere solutio traditur ab omnibus quos initio retulimus, quamvis non eodem modo ab omnibus explicetur. Videndus est praesertim D. Thomas, hac q.83, a.1 ad 3²⁹⁶. — Igitur concessa maiori et minori neganda est consequentia, quoniam quamvis anima rationalis non generetur a parentibus, verumtamen generatur homo, quoniam materia disponitur ad unionem cum forma, quare forma rationalis

²⁹⁵ AUGUSTINUS, *Liber seu epistola CLXVI* (alias 28) De origine animae hominis: PL 33, 720.

²⁹⁶ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1^a 2^{ae}, q.83, a.1 ad 3: ed. leon. 7, 101.

non secundum suum esse praecisum sed secundum quod unienda est materiae et futura est pars hominis, ut sic, continebatur virtute in potentia generativa Adami et in eius semine, et hoc sufficit ut in ipsa substantia formae rationalis recipiatur peccatum originale, quoniam ex dicta coniunctione cum corpore unitur cum Adamo ut cum capite, et propterea participat eius culpam quam postea retinebit etiamsi separata fuerit a corpore, nam unio cum corpore fuit conditio requisita ut influxum reciperet a capite unito, sed non requiritur ut retineat [f.479v] influxum iam receptum. — Hinc rerspondeo ad confirmationem distinguendo antecedens, nam secundum animam unitam corpori sumus filii Adami et membra et haeredes illius quamvis non simus filii Adami secundum animam praecisam ab omni unione sive praesenti sive praeterita.

Membrum 4 reliquis argumentis satisfacit explicata ratione divinae sapientiae et iustitiae

Ad 2^{um} argumentum respondeo negando sequelam de qua dicemus sectione 5, dubio 2.

Circa 3^{um} argumentum Hugo de Sancto Victore, 1 De sacramentis fidei, p.7, cap.35 et 36²⁹⁷, existimare videtur non posse rationem reddi ob quam Deus animam rationalem infundat corpori a quo scit contaminandam fore. — Nihilominus quatuor solutiones colligere possumus ex Doctoribus:

1^a distinguendo maiorem, nam sapiens cui incumberet solo bono particularis liquoris prospicere, ille non infunderet vasi infecto, verumtamen sapiens gubernator universi contemnit merito particulare detrimentum propter universale bonum; quapropter, quoniam ad perfectionem totius universi pertinet multiplicari praecipuam speciem mundi, scilicet, humanam, et non inverti naturalem ordinem generationis qui exigit ut corpori disposito per naturalem generationem uniatur anima, ideo Deus permittit malum originalis peccati quod ex animae infusione praeter Dei intentionem sequitur, quae solutio colligitur ex Ambrosio, De

²⁹⁷ HUGO A STO. VICTORE, *De Sacramentis christianae fidei*, l.I, p.7, c.35s: PL 176 303s.

paradyso, cap.10, apud Augustinum, 2 Contra Iulianum col.12, cum reddit rationem ob quam bonum non fuerit *hominem esse solum* cum tamen *viro foemina fuerit auctor culpa* dicens: *si consideres quia Deo universitatis est cura invenies plus placere Deo debuisse id in quo esset causa universitatis quam condemnandum fuisse id in quo est causa peccati*²⁹⁸ Et quae sequuntur.

Unde sumitur 2^a solutio: etiamsi gubernator sapiens solum respiciat bonum particulare liquoris praetiosi, illum infundet infecto vasi si aliter haberi non potest; at vero anima rationalis secundum leges naturae non incipit esse nisi in corpore, et non expedit leges naturae violari. — Quae solutio confirmatur quoniam melius est animae rationali existere quamvis cum originali peccato quam non existere; ut dicemus sectione 4, dubio 4.

3^a solutio: si liquoris praetiosi reparatio in melius speretur occasione infectionis, non erit contra providentiam illum infundere vasi a quo scit inficiendum fore; at vero per gratiam Christi Domini reparari potest in melius anima rationalis.

4^o, denique: quia Deus leges naturae a principio institutas violare non tenetur ut animas a peccato servet incolumes, et lex naturae postulat generationem et unionem animae cum corpore.

His solutionibus respondent Magister, 2, d.32, § *Si vero*²⁹⁹; Altissiodorensis, libro 2, tract.27, cap.4 c³⁰⁰; Parisiensis, tomo 1, tract. De vitiis et peccatis, cap.4 fine³⁰¹; Albertus et Alexander supra citati; [f.480] D.Thomas, q.83, a.1 fine³⁰², et 2, d.32, q.2, a.2³⁰³; ubi copiusius quam reliqui D.Bonaventura, a.3, q.2³⁰⁴; Ricardus, d.32 fine in dubio circa litteram³⁰⁵.

²⁹⁸ AUGUSTINUS, *Contra Julianum*, 1.2, c.7: PL 44, 688.

²⁹⁹ PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.32, c.2: ed. Quaracchi 1916, t.2, p.476.

³⁰⁰ *Guilielmus Altissiodorensis*, AUREA SUMMA IN QUATUOR SENTENTIARUM, tract.27, c.4, solutio: fol.28.

³⁰¹ Guilielmus Parisiensis, *De vitiis et peccatis*, c.8: Ambiani 1674, t.1, c.4, p.266.

³⁰² THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1^o 2^{ae}, q.83, a.1: ed. leon. 7, 101.

³⁰³ THOMAS AQ., *In 2^{am} Sententiarum*, d.32, q.2, a.2: ed. Vivès 1873, 8,437.

³⁰⁴ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.32, a.3, q.2: Quaracchi, t.2 (1885), p.772s.

³⁰⁵ *Ricardus a Media Villa*, IN SECUNDUM SENTENTIARUM, d.32, fine: Brixiae 1591,

Ad 4, solutio colligitur ex dictis: non deceret divinam iustitiam hominem nulla culpa praecedente damnare aeterno supplicio, quoniam nec haec poena postulatur ab illius meritis nec consequitur naturam et insitum appetitum hominis; at vero quamvis eam culpam et poenam quae sequitur ex unione animae cum corpore postulent merita praecedentia ante infusionem animae, nihilominus naturalis appetitus animae et eius perfectio postulat uniri corpori, ex qua unione, propter merita parentis resultat culpa et originalis poena. Ita respondet D.Bonaventura citatus.

Aliter D.Thomas in 2 Sententiarum citato, scilicet, si Deus hominem nulla praecedente culpa damnaret aeterna poena sensus, auferret aliquid naturaliter debitum; sed poena originalis peccati nihil naturaliter debitum animae adimit quod totum potuisset Deus sine ulla iniustitia auferre nullo prorsus peccato praecedente.

Ad 5, respondeo negando antecedens: nam anima si ante unionem corporis uteretur ratione, et libera voluntate recusaret unionem cum corpore imprudenter ageret, quoniam eligeret maius malum ad vitandum minus, et quoniam perturbaret naturae ordinem; ac proinde non esset contra iustitiam sed potius illi consonum hanc animae voluntatem frangere uniendo illi corpori. Secundo, respondet D.Bonaventura: si anima propria voluntate recusaret unionem, iam unio non fieret sine tristitia et poena sensus, quapropter rigidior esset unio quam de facto est, modo enim unionem nulla poena sensus sed tantum poena damni consequitur.

Ad alia argumenta quae probant originale peccatum principalis esse in carne, respondeo:

—ad 1^{um}, negando antecedens, et ad eius probationem dicendum est praecipuam concupiscentiae et ignorantiae partem esse in anima rationali, ut dictum est in probatione conclusionis et in sectione 1 et dubio 16 et 17³⁰⁶.

—Ad 2^{um}, respondeo distinguendo maiorem: unumquodque principalis est in causa principali quam in effectu; verumtamen

in causa instrumentali aut in materia disponente non est necessarium principalius esse; alioqui potentia visiva principalius esset in semine aut in carne praecisa anima: sic igitur semen est causa instrumentalis peccati originalis, et caro est causa quasi materia disposita quae unitur formae, et ideo opus non est ut principalius habeant in se affectiones formae rationalis: ita D.Thomas, q.83 ad 2³⁰⁷. Respondeo 2^o: tam semen quam caro non sunt causa originalis peccati directe sed applicantes passum agenti, scilicet, unientes animam rationalem ut membrum cum Adamo capite; at vero causa uniens passum agenti non [f.480v] prae-habet in se formaliter effectum illius agentis.

—Ad 3 respondet D.Thomas, De malo, q.4, a.3 ad 4³⁰⁸: *mors in quantum est poena originalis peccati* provenit ex eo quod anima cum originali iustitia amiserit virtutem retinendi corpus a corruptione liberum, quare mors quae est poena originalis peccati principalius et immediatius est in anima propter carentiam praedictae virtutis quamvis solutio et destructio in qua mors constituit non ad solam animam sed ad totum compositum pertineat.

Dubitatur 5

Utrum in carne sit infectio a qua redundat originale peccatum in anima

Negat Scotus, 2, d.32, § *Circa a.3 est dubium*, et postea ad argumenta 3^{ae} quaestionis³⁰⁹; Durandus, 2, d.31, q.1³¹⁰; Bellarmino, tomo 3, libro 4 De amissione gratiae, cap.12³¹¹.

Quae sequuntur argumenta contendunt in carne nullam esse infectionem et corruptionem prius quam in anima:

—1^{um} argumentum: quoniam caro in homine non est caro nisi

³⁰⁷ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1^a 2^{ae}, q.83, a.1 ad 2: ed. leon. 7, 101.

³⁰⁸ THOMAS AQ., *Quaestiones disputatae de malo*, q.4, a.3 ad 4: ed. leon. 23, 115.

³⁰⁹ B. IOANNIS DUNS SCOTI, *Commentaria Oxoniensia ad IV libros Magistri Sententiarum*, lib.2, dist.32: Quaracchi 1914, 2, p.767, 776.

³¹⁰ DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentarium libri quatuor*, 2, d.31, q.1: Amberes 1566, fol. 184.

³¹¹ ROBERTUS BELLARMINO, *Controversiarum de amissione gratiae l.IV*, c.12: Paris 1873, t.5, p.368-370.

per animam rationalem; ergo non prius infecta est caro quam unita sit animae rationali. Probatur consequentia quia nihil potest infectum esse prius quam existat. Antecedens probatur quoniam esse carnis confertur per animam et in homine non est alia anima praeter rationalem.

—2° arguitur, quoniam illa foeditas carnis non est spiritualis, ut constat: alias non reciperetur in carne quae corporea est. Nec est corporalis foeditas quoniam foeditas corporalis est privatio alicuius convenientis secundum naturam, vel appositio disconvenientis, ut digitorum aut nasium privatio vel superflui additio; at vero naturae humanae per originale peccatum nihil eorum quae naturaliter debita erant detractum est: supra, sect.1, dubio 5.

—3: quoniam si Adamus potuit suam carnem et filiorum corrumpere et inficere, eadem ratione poterunt proximi parentes amplius corrumpere et inficere; quare, in filiis erit maior corruptio quam in parentibus. Consequens autem esse falsum probatur: 1° quoniam aliqui parentes ad mala proniores sunt quam filii; 2°, quoniam peccatum originale non est maius in uno quam in alio.

Sequentia argumenta contendunt ex carne non posse provenire originale peccatum in anima:

—4 argumentum: quoniam omne agens praestantius est patiente: ex Augustino, 6 Musicae, et 12 In Genesim³¹²; sed anima praestantior est carne; ergo caro non potest causare corruptionem originalis peccati in anima.

—5: quoniam ut inquit Aristoteles, 1 De generatione, cap.10, textu 86³¹³, necessarium est agens et patiens in materia communicare, sed caro et anima rationalis non communicant in materia; ergo non potest materia causare peccatum originale in anima. Confirmatur, quoniam universaliter res corporea non potest agere in rem spiritualem. Confirmatur 2° quoniam materia non agit in formam. Confirmatur 3: [f.481] quoniam propterea inducitur intellectus agens, ne

³¹² AUGUSTINUS, *De Genesi ad litteram libri XII*, l.12, c.10ss: PL 34 461.

³¹³ Aristoteles, DEGENERATIONE ET CORRUPTIONE, l.1, c.10: *Scriptorum Graecorum Bibliotheca, Aristotelis Opera*, vol.2, Paris 1850, pag.452.

intellectus possibilis patiatnr immediate in phantasmate corporeo.

—6°: quoniam corruptio quae est in carne non est culpa, ut constat ex dubio praecedenti; ergo est poena tantum; sed poena non potest esse causa culpae; ergo corruptio carnis non potest esse causa peccati originalis in anima. Minor probatur, 1°, quoniam poena effectus est culpae; ergo non est causa illius; 2°, quoniam poena iusta et bona est, culpa est iniustitia et malitia; sed bonum et iustum non est causa mali et iniusti; ergo poena non est causa culpae.

—7: quoniam si anima ex carne contraheret originale peccatum, illud reciperetur in essentia animae quoniam haec unitur immediate carni; consequens autem est falsum quoniam peccatum est in voluntate.

—8: quia ut inquit D. Augustinus, 5 Contra Iulianum, cap. 3 [c. 4], in Adamo *ab animo coepit elatio et ad preceptum transgrediendum inde consensit*³¹⁴, tunc est caro facta peccati; ergo in filiis Adami servabitur idem ordo corruptionis ut ab anima veniat in carnem.

1 conclusio: per corruptionem carnis maculatur anima rationalis quae carni unitur et contrahit originale peccatum.

Ita Hugo, De sacramentis, libro 1, p. 7, cap. 35³¹⁵; Magister, 2, d. 31, § 2 et 3³¹⁶; D. Thomas, 1^a 2^{ae}, q. 83, a. 1 ad 4 et 5, et a. 4 ad 2³¹⁷, et 2, d. 31, a. 1 fine³¹⁸, et De malo, q. 4, a. 3³¹⁹; Altissiodorensis, libro 2, tract. 27, cap. 1, p. 2³²⁰; Parisiensis, tomo 1, tract. De vitiis et peccatis, cap. 4³²¹; Albertus, 2 p.,

³¹⁴ Augustinus, *Contra Julianum*, 14, n. 17: PL 44, 794.

³¹⁵ HUGO A STO. VICTORE, *De Sacramentis christianae fidei*, l. 1, p. 7, c. 35: PL 176 303.

³¹⁶ PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 3, d. 31: ed. Quaracchi 1916, t. 2, p. 469.

³¹⁷ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1^a 2^{ae}, q. 83, a. 1 ad 4 et 5; a. 4 ad 2: ed. leon. 7, 101; 104.

³¹⁸ THOMAS AQ., *In 2^{am} Sententiarum*, d. 31, q. 1, a. 1: ed. Vivès 1873, 8, 422.

³¹⁹ THOMAS AQ., *Quaestiones disputatae de malo*, q. 4, a. 3: ed. leon. 23, 114.

³²⁰ *Guilielmus Altissiodorensis, AUREA SUMMA IN QUATUOR SENTENTIARUM*, tract. 27, c. 1: fol. 27.

³²¹ Guilielmus Parisiensis, *De vitiis et peccatis*, c. 8: Ambiani 1674, t. 1, c. 4, p. 266.

tract.17, q.107, mem.4, a.3, particula 1³²²; Alexander, 2 p., q.122, mem.4³²³; D.Bonaventura, 2, d.31, a.2, q.1³²⁴; Ricardus, d.31, a.2, q.1³²⁵; Driedo, 1 De gratia et libero arbitrio, tract.3, cap.3, parte 4, consideratione 3³²⁶.

Probat Magister, 1^o ex Ambrosio, De verbis Apostoli, dicente: *quomodo habitat peccatum in carne cum non sit substantia sed privatio boni? ecce primi hominis corpus corruptum est per peccatum ipsaque corruptio per conditionem offensionis manet in corpore robur tenens divinae sententiae datae in Adam cuius (scilicet corporis) consortio anima maculatur*³²⁷. Idem habetur in Glossa ad Romanos 7³²⁸, verbo *sed quod habitat in me peccatum*, et docet D.Augustinus, De verbis Apostoli cuius verba refert Magister citatus; Cyrillus Alexandrinus, 12 In Leviticum, col.3³²⁹ ait: solum Dominum Iesum Christum non esse pollutum in matre quoniam ingressus est corpus incoinquinatum, unde colligitur reliquos pollui quoniam eorum anima infunditur coinquinato corpore.

Ut conclusionem ratione probemus oportet prius investigare quae corruptio possit esse in carne et quomodo ab illa possit causari originale peccatum in anima.

—*I^{us} modus dicendi [f.481v]* continetur tribus propositionibus:

1^a: caro nihil agit nihilque efficiendo influit in animam ut resultet originale peccatum;

2^a propositio: caro est aliquo modo causa originalis peccati

³²² B. ALBERTI MAGNI, O.P., *Summa Theologiae*, pars 2^a, tract.17, q.107, mem.4, a.3, partic.1: Opera omnia, Paris 1985, vol.33, p.297.

³²³ Cf. ALEXANDRI DE ALES, *Summa Theologiae*, p.2, q.105, mem.4: Venecia 1575, fol.172.

³²⁴ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.31, a.2, q.1: Quaracchi, t.2 (1885), p.748.

³²⁵ Ricardus a Media Villa, IN SECUNDUM SENTENTIARUM, d.31, a.2, q.1: Brixiae 1591, p.391.

³²⁶ IOANNES DRIEDO A TURNHOUT, *De gratia et libero arbitrio*, tract.3, cap.3, parte 4, consideratione 3: Lovaina, 1566, p.130.

³²⁷ PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.31, c.5: ed. Quaracchi 1916, t.2, p.470.

³²⁸ *Glossa ad Rom. c.7*: PL 114, 493.

³²⁹ *Cyrylli Archiep. Alex.*, IN LEVITICUM, l.12, col.4: Paris 1573, col.141.

quatenus est impedimentum originalis iustitiae quae deberet esse in anima.

3^a propositio: caro ideo est impedimentum originalis iustitiae in anima recipiendae quoniam caro propagata est ex Adamo, unde provenit compositum ex carne et anima constitutum esse filium Adami, et in eo peccavisse, et propterea carere iustitia quam debuisset conservare, unde praeterea sequitur concupiscentia. Quae omnes consequutiones constant ex dictis tota sectione 1.

Ita sensisse videtur Anselmus, De conceptu virginali, cap.23 illis verbis: *persona spoliavit naturam dono [bono] iustitiae in Adam et natura egens facta omnes personas quas ipsa de se procreat eadem egestate peccatrices et iniustas facit et hoc modo transit peccatum personale Adae in omnes qui de illo personaliter [naturaliter] propagantur*³³⁰; idem videtur sensisse Magister 2, d.31, [c.V]³³¹ his verbis: *peccati causa ex carne est non ex anima, quia caro ex origine est carnis peccati*; et Scotus, 2, d.32, ad argumenta 3^{ae} quaestionis dum ait peccatum provenire ex carne quatenus inde provenit relatio filii Adami et inde debitum habendi iustitiam originalem et privatio illius³³²; eodem spectat alter modus loquendi, Durandi, 2, d.31, q.1, n^o.8³³³, dicentis rationem traducendi originale peccatum esse quoniam natura humana destituta originali iustitia non agit ultra ut res naturae, et ideo procreat filios carentes originali iustitia et cum debito habendi illam; idem modus dicendi fuit antiquorum apud Bonaventuram, d.31, a.2, q.1³³⁴.

Sed illum impugnat D. Bonaventura quoniam si anima crearetur a Deo separata a corpore sine iustitia et gratia et sine ullo supernaturali dono, nihilominus pura esset ab omni culpa

³³⁰ ANSELMUS CANTUARIENSIS, *De conceptu virginali et de originali peccato*, c.22: Venecia 1549, p.85; PL 158, 457.

³³¹ PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.31, c.5, (tomado de S. Ambrosio); ed. Quaracchi 1916, t.2, p.470.

³³² B. IOANNIS DUNS SCOTI, *Commentaria Oxoniensia ad IV libros Magistri Sententiarum*, lib.2, dist.32: Quaracchi 1914, 2, p.776.

³³³ DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 2, d.31, q.1, n.8: Amberes 1566, fol. 184v.

³³⁴ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.31, a.2, q.1: Quaracchi, t.2 (1885), p.748.

originali; ergo non ex eo praecise quod caro impediatur iustitiam originalem animae sed aliquo alio modo causatur originalem culpam in anima. — Cui respondere possumus ex corpore pendere unionem animae cum corpore, a qua provenit esse filium Adami unde ulterius fit ut quae esset mera negatio iustitiae nullo modo imputabilis animae quae separata crearetur, in anima unita sit privatio imputabilis ad culpam. — Sentio igitur hunc modum dicendi nisi sequentes excludat verum esse; attamen non exacta difficultatem explicare.

—^{2^{as}} *modus dicendi* continet partes duas: -1^a: corruptio carnis est passibilitas et carentia subiectionis sub rationis imperio proveniens ex culpa Adami. -2^a propositio: ex hac corruptione carnis provenit ut anima carni unita habeat concupiscentiam inclinantem ad malum. Ita expresse Hugo, 1 De Sacramentis fidei, p.7, cap.31³³⁵, et magis explicat D.Thomas, 2, d.30, q.1, a.2 ad 5, his verbis: *anima non inficitur a corpore quasi corpore agente in animam sed per quandam collimationem unius ad alterum quia forma recipitur in materia secundum conditionem ipsius materiae, cum omne quod est in alio sit in eo per modum recipientis et [f.482] ideo ex hoc ipso quod corpus illa virtute privatur qua perfecte erat subiicibile animae sequitur etiam quod anima illa virtute careat qua perfecte corpus subditum regat et talis defectus originalis iustitiae culpa est naturae ut consideratur consequens ex voluntate alicuius a quo natura traducitur.* Hactenus D.Thomas³³⁶. Idem docet Caietanus, hac q.81, a.4³³⁷, atque eodem videtur spectare Magister 2, 31, § *Ad quod dici potest*³³⁸, dicens cum originalis peccati esse pollutionem quam caro contrahit *ex fervore coitus parentum*; hinc autem nihil verisimilius contrahitur quam privatio subiectionis qualis est in fervore coitus.

³³⁵ HUGO A STO. VICTORE, *De Sacramentis christianae fidei*, l.1, p.7, c.31: PL 176 301.

³³⁶ THOMAS AQ., *In 2^{um} Sententiarum*, d.30, q.1, a.2 ad 5: ed. Vivès 1873, 8, 403.

³³⁷ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1^a 2^a, q.81, a.4: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani, ed. Leon. t.7, p.92.

³³⁸ PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.31, c.6: ed. Quaracchi 1916, t.2, p.471.

Eundem modum explicandi videtur sequi Alexander supra citatus et Altissiodorensis, libro 2, tract.27, cap.1, p.2 ad 4³³⁹; Ricardus, 2, d.31, a.2, q.1, praesertim ad 1 et ad ultimum³⁴⁰, et colligi potest ex Gulielmo Parisiensi, in tomo 1 Tract. De vitiis et peccatis³⁴¹, si caput 4 cum 5 conferatur.

Eundem modum dicendi manifestius docet D. Bonaventura, 2, d.31, a.2, q.1, longam ratiocinationem claudens his verbis: *cum ergo dicimus carnem inficere animam, intelligimus propter colligantiam quam habet ad animam propter quam dum deorsum tendit caro animam secum trahit, ut enim dicit Gregorius, qui labenti nititur [innititur] necesse est ut cum labente labatur*³⁴². Scio a D. Bonaventura ibidem impugnari opinionem Hugonis, verum non impugnatur id quod directe ad praesentem quaestionem pertinet sed quod asserit Hugo, ex mortalitate provenire concupiscentiam in carne, cui Bonaventura obiicit Christum Dominum cuius caro mortalis fuit et tamen ex mortalitate non redundabat concupiscentia. — Sed responderi potest concupiscentiam ut reperitur in iis omnibus qui ex Adamo propagati sunt naturali propagatione provenire ex mortalitate aut certe cum illa esse necessario coniunctam quoniam in poenam primae inobedientiae omnis caro filiorum spoliatur omni supernaturali dono.

Ex utroque modo dicendi colligo sequentes conclusiones:

—**Sit 2^a conclusio:** infectio carnis a qua maculatur anima est duplex: prima et formalissima est esse naturaliter procreata ex Adamo inobediente, et haec corruptio quasi de materiali dicit fundamentum et relationem filiationis naturalis respectu Adami, et de formali dicit ordinem ad culpam Adami commissam nomine posteritatis. Secunda corruptio est mortalitas carnis et privatio illius doni quo perfecte subiicienda erat animae.

—**3^a conclusio:** utraque infectio carnis non producit in carne originale peccatum vera efficientia reali ut manifeste constat, imo

³³⁹ *Gulielmus Altissiodorensis*, AUREA SUMMA IN QUATUOR SENTENTIARUM, fol.27v.

³⁴⁰ *Ricardus a Media Villa*, IN SECUNDUM SENTENTIARUM, d.31, a.2, q.1: Brixiae 1591, p.391.

³⁴¹ *Gulielmus Parisiensis*, DE VITIIS ET PECCATIS, cc.4s, pag.264-272.

³⁴² S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.31, a.2, q.1: Quaracchi, t.2 (1885), p.750.

nec secundum rationem agit per modum causae efficientis sed eius causalitas similior est secundariae causalitati materiae.

—4^a conclusio: prior infectio carnis causat originale peccatum in anima ut id a quo anima formaliter habet esse animam filii transgressoris, quare illa infectio agit per modum applicantis passum agenti, scilicet, unientis animam cum Adamo transgressore a quo per modum effici- [f.482v] cientis resultat culpa. —Atque hinc explicari potest quod asserit D. Thomas q. 81, a. 1 ad 4³⁴³, ubi Conradus³⁴⁴, et Capreolus, 2, d. 31, a. 1 conclusione 3³⁴⁵, *magis inficitur anima per semen quam per carnem quia caro iam est determinata ad personam*, sed semen est instrumentum generationis ad naturam et speciem propagandam, hoc est a semine et generatione praecipue provenit ut qui nascitur sit filius Adami ac proinde ut contrahat originale peccatum quod a carne non provenit nisi ratione seminis et generationis a quibus filiationem accipit.

—5^a conclusio: posterior infectio carnis, scilicet mortalitas et privatio subiectionis, causat quasi dispositio materiae cui congruum est animam non infundi perfectam originali iustitia; si enim corpus causaret perfecta subiectione dignum est animam non infundi cum perfecta potestate imperandi carni.

Sed obiicies: existente sola relatione filiationis ex paterno genere Adami sine privatione subiectionis et mortalitate contrahitur originale peccatum et tamen non contrahitur sine relatione filiationis Adami etiamsi caro mortalis sit et careat dono subiiciente illam perfecte; ergo secunda corruptio per accidens se habet ut anima ex carne contrahat originale peccatum et prior corruptio requiritur sola. Antecedens probatur quoniam si Deus corpori infunderet immortalitatem et illud donum quo caro perfecte subiicitur rationi et tamen animae non infunderet gratiam iustificantem nec charitatem nec aliud donum suplens horum vices tunc anima unita corpori per naturalem generationem ex paterno

³⁴³ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1^a 2^{ae}, q. 81, a. 1 ad 4: ed. leon. 7, 101.

³⁴⁴ CONRADUS KOELLIN, *Expos. comm. in Primam Secundae*, q. 81, a. 1 ad 4: Venetiis 1589, p. 638.

³⁴⁵ I. CAPREOLUS, OP, *Defensiones Theologiae D. Thomae Aquinatis*, Turin 1903, t. 4, p. 349.

genere Adami contraheret originale peccatum; e contra vero caro licet destituta esset perfecta subiectione et immortalitate, si tamen non fuisset propagata ex paterno genere Adami, anima illi unita non contraheret originale peccatum.

—Respondeo concedo antecedente negando consequentiam. Quoniam si alicui carni quae paterno genere propagata fuerit ex Adamo concederetur donum quo perfecte subiiceretur animae, haec esset ratio ut expediret formam quae illi carni unitur habere donum quo perfecte posit dominari carni et hoc donum non haberet sine iustitia originali et gratia iustificante de lege ordinaria et secundum congruentem rebus providentiam, quare ut in anima sequatur originale peccatum modo rebus congruenti debet in carne manere non solum mortalitas sed etiam privatio perfectae subiectionis. — Atque hinc explicari potest quod asserit D.Bonaventura, 2, d.31, a.2, q.1, dum impugnat opinionem Hugonis, scilicet, *si aliquod corpus a fomite perfecte purificaretur anima quae illi uniretur non contraheret originale peccatum*³⁴⁶. Intelligendum enim est si secundum dispositionem corporis anima infunderetur modo rebus congruenti nam infundenda esset anima praedita iustitia originali ut perfecte dominaretur carni; quod si animae deesset gratia et iustitia contraheret originale peccatum quamvis corpus mundaretur ea parte fomitis quae ad corpus pertinet.

—**6^a conclusio:** quod Albertus 2 p., q.107, mem.4, a.3, particula 1 ad 4 asserit his verbis: *haec caro minus fortis sit quam anima tamen ex vi maledictionis sententiae divinae accepit vir- [f.483] tutem ut possit in ipsam*³⁴⁷ — Hoc inquam si ut sonat intelligatur improbable est, quia Deus non potest directe causare aliquid quo per se et directe causetur peccatum aut aliquid intrinsece malum, ut probatum est in q.89, a.1. Potest tamen pie explicari ut reducatur ad ea quae supra diximus.

Colligitur ex superioribus conclusionibus quo sensu vera possit

³⁴⁶ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.31, a.2, q.1: Quaracchi, t.2 (1885), p.748.

³⁴⁷ B. ALBERTI MAGNI, O.P., *Summae Theologiae*, pars 2^a, tract.17, q.107, mem.4, a.3, part.1 ad 4: Opera omnia, Paris 1985, vol.33, p.299.

esse explicatio Origenis, homilia 8 in leviticum, col.3³⁴⁸, ubi immunditiam mulieris quae suscepto semine peperit intelligit proficisci ex originali peccato quod generatione contrahitur. — Quod non est ita accipiendum quasi ex originali peccato filii in matrem transeat aliqua macula quae vere sit culpa aut transeat aliqua realis immunditia sed tantum quaedam denominatio ratione cuius congruum fuit a sacris removeri donec illa quasi indecentia et irregularitas sacrificii expiaretur. — Hanc rationem impugnat Abulensis, Leviticum 12 q.23³⁴⁹, sed aliis defendendam relinquo.

Ad argumenta in principio proposita:

—Respondeo ad 1^{um}, caro potest dupliciter accipi, 1^o, ut signet compositum ex materia et forma, sicque non prius existit caro quam forma uniatur materiae; 2^o modo accipitur ut significat materiam ultimis dispositionibus affectatam, quo materia accipitur in praesenti, sicque in genere causae materialis prius existit caro quam illi uniatur anima rationalis et eodem genere prioritatis caro est infecta prius quam anima contrahat originale peccatum.

—Ad 2^{um} respondeo: foeditas carnis formaliter accepta nec est spiritualis nec corporea quia non est aliquid reale sed tantum ens rationis: includit enim ordinem ad inoboedientiam primi parentis quatenus illa fuit totius posteritatis; verum de materiali foeditas carnis includit aliquid corporeum, scilicet, fundamentum filiationis naturalis respectu Adami et carentiam illius doni quo caro perfecte subiicienda erat animae, quod donum forte corporeum erat, de quo alibi.

—Ad 3^{um} respondeo negando sequelam propter discrimen inter Adam et parentes proximos. Adamus enim caput erat et poterat immortalitatem et subiectionem carnis posteriorum nomine prodere eorum nomine peccando, sed proximi parentes non ita sunt caput posteriorum. Valeret autem illud argumentum si vis qua Adamus corrumpit posteriorum carnem esset realis aliqua virtus agendi in suam et filiorum carnem et non penderet ex morali denominatione capitis. — Respondeo 2^o, etiamsi proximi parentes constitue-

³⁴⁸ PG 12, 496.

³⁴⁹ [Alonso de Madrigal, el Tostado]

rentur a Deo capita filiorum quoad oboedientiam vel inoboedientiam, non possent amplius corrumpere carnem filiorum quam ad carentiam subiectionis et immortalitatis, cum totum illud donum iam fuerit amissum; utrum autem denominatione quadam plurium [f.483v] culparum originalium possint magis corrumpere dicitur infra.

Sed notandum est hanc quaestionem, utrum caro filiorum corrupta sit et immunda magis quam caro parentum, excitari a Magistro, 2, d.31, § *Ad quod dici potest*, et d.32, § *Solet autem hic*³⁵⁰; et quamvis affirmativam sententiam sequi videatur, nihilominus si atente inspiciatur non potest certo constare quid sentiat. — Negativam sententiam expresse docent D.Thomas, 2, d.32, q.1, a.3 ad 1³⁵¹; Altissiodorensis, libro 2, tract.27, cap.3³⁵²; Bonaventura et alii. Quod si Magister affirmaret absolute magis corruptam esse filiorum carnem explicandus esset ut explicatur a D.Bonaventura 2, d.31, in expositione textus verbo *foeditas maior*³⁵³ vel ut explicatur a Ricardo in fine d.32³⁵⁴. Vide quae dicemus sect.4, dubio 2.

—Ad 4 respondeo distinguendo maiorem, nam agens quod est efficiens principale debet esse praestantius patiente si non sit agens univocum; at vero agens quod non causat nisi ut materialis causa plerumque non est praestantius patiente, et hoc modo materia agit in animam rationalem ad productionem originalis peccati.

—Ad 5 respondeo: illa sententia Aristotelis non de quolibet agente intelligitur sed tantum de agentibus mutuis quae agunt et patiuntur ab invicem: mutua enim actio et reactio requirit materiae communionem, ut probat D.Thomas ibidem lectione 18³⁵⁵; at

³⁵⁰ PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 3, d.36, c.31; 32: ed. Quaracchi 1916, t.2, p.471; 477.

³⁵¹ THOMAS AQ., *In 2^{um} Sententiarum*, d.32, q.1, a.3 ad 1: ed. Vivès 1873, 8,434s.

³⁵² *Gulielmus Altissiodorensis*, AUREA SUMMA IN QUATUOR SENTENTIARUM, tract.27, c.3: fol.98.

³⁵³ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.31, Dubium II circa litteram Magistri: Quaracchi, t.2 (1885), p.755.

³⁵⁴ *Ricardus a Media Villa*, IN SECUNDUM SENTENTIARUM, d.32 fine: Brixiae 1591, p.406.

³⁵⁵ THOMAS AQ., *In Aristotelis Commentaria, De generatione et corruptione*, liber

vero materia et anima rationalis non agunt invicem ad productionem originalis peccati. — Respondeo 2^o et evidentius Aristoteles loquitur de actione reali qua effectus realis producitur, non qua communicatur relatio filiationis a qua provenit culpa. — Respondeo 3^o: loquitur Aristoteles de agente per modum causae efficientis, sed caro non agit in animam nisi per modum causae materialis.

Ex his constat solutio confirmationum. Sed praesertim ad ultimam dicitur inde potius sumi posse argumentum pro nobis, nam quamvis ad productionem specierum intelligibilium requiratur intellectus agens, adhuc pendet haec productio ex corporea phantasia; ergo licet Adamus fuerit causa efficiens originalis peccati potest eius actio pendere ex corporea corruptione carnis. — Confirmatur quoniam ex dispositione corporis contingit animam dolere et fatuam esse, quibus exemplis utitur D.Thomas in 2, d.30, q.1, a.2 ad 3³⁵⁶; et D.Bonaventura, 2, d.31, a.2, q.2³⁵⁷; Alexander, 2 p., q.122, mem 4 ad 5³⁵⁸. — Quam doctrinam Caietanus in q.81, a.1, § *In eodem*³⁵⁹, existimat revocatam esse a D.Thoma ibi; verumtamen si melius perpendantur verba D.Thomae in utroque loco constabit mentem illius esse quae his propositionibus continetur: 1^a: stoliditas accepta a parentibus non explicat quo modo defectus originalis habeat propriam rationem culpae im- [f.484] putabilis. 2^a propositio: stoliditas accepta a parentibus aliquo modo explicat quomodo ex dispositione corporis causati a parentibus possit in animam redundare defectus.

Sed Durandus supra citatus occurrit dicens animam pendere a corpore quoad operationes, et propterea stolidam esse vel dolere propter pravam corporis dispositionem sed haec ratio non viget in

I, lect.18: ed. Vivès 187, 53, 23, 317.

³⁵⁶ THOMAS AQ., *In 2^{um} Sententiarum*, d.30, q.1, a.2 ad 3: ed. Vivès 1873, 8,403.

³⁵⁷ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.31, a.2, q.1: Quaracchi, t.2 (1885), p.749.

³⁵⁸ Cf. ALEXANDRI DE ALES, *Summa Theologiae*, p.2, q.105, mem.4, ad 6: Venecia 1575, fol.172v.

³⁵⁹ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1^a 2^{ae}, q.81, a.1: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani, ed. leon. t.7, p.89.

originali peccato. —Respondeo: quamvis non sit eadem prorsus ratio, saltem constat illud in communi verum esse quod anima aliquid accipiat a corpore, et sicut potest pendere quoad operationem realem pendebit etiam quoad infusionem congruentem realium habituum iustitiae originalis, qui ad operationem ordinantur, etenim non expediet ut habitus iustitiae originalis infundatur in anima quae propter defectum corporis non possit exercere actus iustitiae originalis et quae ex unione ad corpus redditur indigna his actibus et habitibus infusis.

—Ad 6 respondeo distinguendo minorem: poena enim non potest esse efficiens culpae, potest autem esse causa coniungens animam cum Adamo per relationem filiationis quae est in homine et sua corruptione limitans ne introducat anima ornata originali iustitia sed nuda.

—Ad 7 respondeo consequens illius conditionalis verum esse quidquid sit de vi illationis, scilicet peccatum originale in essentia animae, de quo infra dubio 7.

—Ad 8, saepe D.Thomas docuit contrarium esse debere ordinem in culpa personali Adami et in culpa originali filiorum, quoniam non a voluntate personae sed a voluntate capitis procedit originalis culpa cui voluntati per carnem unitur anima rationalis.

Dubitatur 6

Utrum anima contrahat originale peccatum ex carne propter appetitum quo propendet in carnem

Antiquorum quorundam sententia fuit propterea contrahi originalem culpam ex carne, quoniam anima rationalis actuali volitione sive appetito elicitio voluit uniri cum carne corrupta ex Adami progenie. Hanc sententiam Albertus, 2 p., q.107, mem 2 fine³⁶⁰ tribuit Origini in libro 1 Periarchon, cap.7³⁶¹. Sed Origenes non agit de ratione contrahendi originale peccatum sed tantum de origine animae et peccato commisso antequam in

³⁶⁰ B. ALBERTI MAGNI, O.P., *Summae Theologiae*, pars 2^a, tract.17, q.107, mem.2: Opera omnia, Paris 1985, vol.33, p.289.

³⁶¹ PG 11, 173.

carcerem corporis coniiiceretur, ut supra dubio 4, mem 3.

Antiqui probant suam sententiam —ex Augustino, libro 83 Quaestionum, q.3³⁶², dicente nullum posse fieri deteriolem nisi a se ipso et a sua voluntate; ergo anima rationalis non fit deterior per originale peccatum ex sola carne sed a se ipsa et propria voluntate, qua appetit unionem cum carne.

—2^o, quoniam sola voluntas est causa efficiens et subiectum peccati et sine illa non potest esse [f.484v peccatum, supra q.74, a.1 et 2³⁶³.

—3^o, quoniam spiritus non patitur a corpore nisi sua voluntate dignum se praebeat ut subiiciatur corpori, quapropter licet angelus uniretur carni infectae nullam maculam inde contraheret, et licet anima innocens existeret in inferno minime pateretur ab igne; ergo nisi anima rationalis sua voluntate dignam se praebeat ut subiiciatur carni corruptae non contrahet ex illa originalem culpam.

De hac re fuse et acute Gulielmus Parisiensis, tom.1, tract. De vitiis et peccatis, cap.5 initio³⁶⁴; D.Bonaventura, 2, d.31, a.2, q.2³⁶⁵, ubi Ricardus, a.2, q.3³⁶⁶. Et obiter Albertus, supra, et Alexander 2 p., q.122, mem 1 prope finem³⁶⁷. Ex his Doctoribus colligo sequentes conclusiones:

1^a conclusio: appetitus elicited animae ad carnem non est ita necessarius ad contrahendum originale peccatum ut ab illo quasi a praecipua causa proveniat originale peccatum. Oppositum huius conclusionis est haereticus, ut constat ex iis quae diximus sectione 1, dubio 15, initio³⁶⁸; nam alioqui peccatum animae esset actuale sive personale et non esset peccatum originale.

2^a conclusio: appetitus elicited animae ad carnem nullo modo

³⁶² AUGUSTINUS, *De diversis quaestionibus LXXXIII*, q.III: PL 40, 11.

³⁶³ ATG 59 (1996), p.171-194.

³⁶⁴ GUILIELMUS PARIENSIS, *De vitiis et peccatis*, c.8: Ambiani 1674, t.1, c.4, p.266.

³⁶⁵ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.31, a2, q.2: Quaracchi, t.2 (1885), p.753.

³⁶⁶ Ricardus a Media Villa, IN SECUNDUM SENTENTIARUM, d.31, a.2, q.3: Brixiae 1591, p.383.

³⁶⁷ Cf. ALEXANDRI DE ALES, *Summa Theologiae*, p.2, q.105, mem.1: Venecia 1575, fol.269.

³⁶⁸ ATG 64 (2001), p.302.

necessarius est ad contrahendum originale peccatum nec ut conditio sine qua non, et oppositum erit plus quam temerarium. —Probatur, quoniam animae quando infunduntur corpori contrahunt originale peccatum et tamen tunc nullum actum elicited habere possunt propter indispositionem phantasiae, quod ex Sacra Scriptura et D. Augustino confirmavimus sectione 1, dubio 15 initio. —Probatur secundo quoniam ratio contrahendi originale peccatum ex carne sufficiens reddita est in praecedenti dubio independenter ab omni actu voluntatis.

3^a conclusio: appetitus insitus animae ad carnem requiritur ut anima ex carne contrahat originale peccatum. Probatur quoniam ut anima contrahat originale peccatum opus est constituere unum per se cum carne ex qua et ex anima resultet homo naturaliter filius Adami, sed ut anima uniatur carni requiritur appetitus insitus in materia respectu animae et in anima respectu materiae, ut ostenditur in 1^o Physicorum; ergo ut anima ex corpore contrahat originale peccatum requiritur appetitus insitus animae ad carnem.

4^a conclusio: appetitus insitus animae ad carnem non requiritur quasi causa efficiens aut aliquo modo directe et per se causans originale peccatum. Probatur quoniam ille appetitus naturalis est et essentialiter bonus; requiritur autem ut conditio bona sine qua non existeret illud subiectum quod solum est capax originalis peccati.

—Ad 1^{um} argumentum respondeo: Augustinus ibi agit de sola malitia personali, non de originali quae provenit ex voluntate capitis. Respondeo, si Augustinus agat de originali malitia significabit parvulos a se ipsis et a sua voluntate deteriores factos, quatenus voluntas Adami erat etiam voluntas omnium filiorum, et quatenus in Adamo omnes erant. [f.485]

—Ad 2^{um} respondeo similiter: ex sectione 1^a dubio 2³⁶⁹ constat ad originalem culpam sufficere eam rationem voluntarii quam a voluntate capitis omnia membra participant sine personali voluntate cuiusque.

—Ad 3^{um} respondeo antecedens absolute falsum esse, et ad

³⁶⁹ ATG 63 (2000), p.226.

eius exempla, respondeo: si angelus uniretur carni infectae non contraheret originalem culpam, quoniam ex ea unione, licet fingatur esse per se non resultabit filius Adami. Quod si anima innocens constitueretur in inferno, nihil pateretur ab igne quia ille non agit in spiritum nisi ratione culpae personalis; sed anima rationalis eo ipso quod per unionem constituit hominem qui est filius Adami contrahit originale peccatum.

Dubitatur 7^o

**Utrum primum subiectum originalis peccati
sit animae substantia, an vero illius voluntas.
Ubi an persona vel natura sit subiectum**

In dubio 4 probatum est proprium subiectum originalis peccati esse animam rationalem. Inquirimus autem utrum ratione potentialium vel ratione substantiae immediate recipiat originalem culpam.

1^a sententia asserit originale peccatum recipi immediate in voluntate et non recipi in substantia animae nisi mediante voluntate sicut omnes volitiones turpes. Ita sentit D. Bonaventura 2, d.31, a.1, q.2, ubi ait oppositum non videri intelligibile³⁷⁰; Durandus, 2, d.31, q.3³⁷¹; Scotus 2, d.32, § *Contra omnes tres articulos* et ad argumenta 2^{ae} quaestionis, ad 5³⁷²; Driedo, *De gratia et libero arbitrio*, libro 1, tract.3, cap.3, parte 4, consideratione 3³⁷³; Ricardus, 2, d.31, a.1, q.1³⁷⁴, quamvis oppositam sententiam defendat etiam ut probabilem.

Colligitur ex his Doctoribus iustitiam originalem constituunt in voluntate immediate, inter quos est Pererius, tomo 1 in Gene-

³⁷⁰ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.31, a.1, q.2: Quaracchi, t.2 (1885), p.744.

³⁷¹ DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 2, d.31, q.3: Amberes 1566, fol. 185.

³⁷² B. IOANNIS DUNS SCOTI, *Commentaria Oxoniensia ad IV libros Magistri Sententiarum*, lib.2, dist.32: Quaracchi 1914, 2, p.768,776.

³⁷³ IOANNES DRIEDO A TURNHOUT, *De gratia et libero arbitrio*, tract.3, cap.3, parte 4, consideratione 3: Lovaina, 1566, p.130.

³⁷⁴ Ricardus a Media Villa, *IN SECUNDUM SENTENTIARUM*, d.31, a.1, q.1: Brixiae 1591, p.387.

sim, disputatione de iustitia originali, q.2³⁷⁵.

Probari potest 1° ex Anselmo, De conceptu virginali, cap.3, fine³⁷⁶, ubi ex communi ratione iustitiae et iniustitiae concludit originale peccatum esse in voluntate. Quod argumentum, non solum auctoritate Anselmi sed etiam ratione constat.

Confirmatur 1° ex Scoto, quoniam peccatum non potest esse nisi in substantia capaci obligationis quae per peccatum violetur; sed obligatio non potest immediate pertinere nisi ad potentiam liberam; ergo peccatum originale non est immediate nisi in voluntate. Confirmatur 2°, quia quod non potest moveri a voluntate non est capax peccati; sed essentia animae non potest moveri a voluntate; ergo non est capax peccati.

2^{um} argumentum (D. Bonaventura et latius Durandus): quoniam habitus et privatio sunt in eodem subiecto, sed iustitia originalis est in voluntate et non est in essentia animae nisi mediante voluntate; ergo peccatum originale est etiam in voluntate et non in essentia animae immediate. Minor probatur quoniam iustitia originalis definitur esse rec- [f.485v] titudo voluntatis; rectitudo autem esse debet in ea potentia quae redditur recta. Confirmatur 1° quoniam nulla virtus est in essentia animae sed omnis est in aliqua potentia; at vero iustitia originalis est virtus. Confirmatur 2°, quoniam quamvis ad originalem iustitiam secundario pertineat rectitudo appetitus, illa tamen non habet rationem virtutis nisi denominatione a rectitudine voluntatis.

3^{um} (Bonaventura, Durandus) quoniam originale peccatum est concupiscentia; concupiscere autem non convenit substantiae animae immediate sed ratione potentiarum. Confirmatur quoniam illud quod inclinatur ad actum immediate respicit potentiam; sed originale peccatum ad actus inordinatos inclinatur; ergo immediate respicit potentiam.

4° (D. Bonaventura): quoniam originale peccatum est deordinatio animae; deordinatio autem et ordinatio non est in

³⁷⁵ BENEDICTUS PERERIJUS VALENTINUS, *Commentariorum et disputationum in Genesim prior tomus*, I.V, Quaestio II, *Ubi tanquam in subiecto fuerit iustitia originalis*: Lyon 1599, p.576.

³⁷⁶ ANSELMUS CANTUARIENSIS, *De conceptu virginali et de originali peccato*, c.3: Venecia, 1549, p.79v; PL 158, 439.

anima nisi ratione voluntatis cuius est ordinare ad ultimum finem vel ab illo avertere, siquidem voluntas est quae finem respicit. Confirmatur, quoniam gratia non est in anima immediate sed ratione voluntatis; ergo nec peccatum.

5 (Driedo): quoniam peccatum originale est privatio debitae subiectionis voluntatis ad Deum et oboedientiae ut probatum est sectione 1, dubio 7; ergo est in voluntate immediate. Confirmatur quoniam voluntatem esse habitualiter aversam a Deo et pronam ad amorem sui est peccatum originale.

6 (Zumel): quoniam originale peccatum est eiusdem rationis cum primo peccato Adami; sed primum peccatum Adami fuit in eius voluntate ut subiectum; ergo etiam in parvulorum voluntate residet originale peccatum.

7^o: quoniam eiusdem potentiae cui inest actus inest etiam habitus ex actu relictus; sed actus peccati Adami fuit in eius voluntate; ergo habitus relictus tam in Adamo quam in filiis debet esse in voluntate. Confirmatur, quoniam peccatum personale est in voluntate, ergo etiam peccatum habituale.

8^o: saltem videtur concedendum originale peccatum formaliter esse in sola voluntate immediate, quamvis ad illam derivetur ab essentia animae. Quod probatur quoniam a carne in animam derivatur originale peccatum, supra, dubio 5, et tamen non est formaliter in carne sed tantum in anima, supra, dubio 4³⁷⁷; ergo quamvis originale peccatum non sit formaliter in essentia animae, poterit ab illa derivari in voluntatem.

Praemitto praesentem quaestionem ex tribus aliis pendere:

- 1^a, utrum originale peccatum sit privatio originalis iustitiae.
- 2^a, utrum originalis iustitia sit idem quod gratia iustificans, ac proinde peccatum originale sit privatio gratiae iustificantis. De his dictum est satis sectione 1 a dubio 5 usque ad 8³⁷⁸.
- 3^a quaestio est utrum gratia iustificans sit habi- [f.486] tus realiter diversus a charitate immediate inhaerens in essentia animae vel potius sit realiter idem actus charitatis, ac proinde voluntatem immediate afficiens, ut communior antiquorum senten-

³⁷⁷ ATG 63 (2000), p.247.

³⁷⁸ ATG 63 (2000), p.259-286. ATG 64 (2001), p.241-260.

tia fuit. Et quamvis utriusque partis argumenta sint non admodum firma, congruentior tamen videtur esse sententia D. Thomae, infra, q.110, a.3 et 4³⁷⁹, et alibi saepe, quae gratiae habitum in essentia animae constituit realiter diversum a charitate quae voluntatem afficit, quod ea congruentia persuadeo quoniam omnes virtutes naturales supponunt naturalem inclinationem ad bonum rationis et hanc inclinationem perficiunt; ergo omnes virtutes supernaturales supponunt aliquam ordinationem supernaturalem ratione cuius homo constituatur in esse supernaturali et particeps divinae naturae; haec autem inclinatio, si supponitur ab omnibus virtutibus non est virtus; quod si virtus non est non debet esse in potentiis sed in essentia hominis. — Alia pro sententia D. Thomae videri possunt apud expositores 1^{ae} 2^{ae}, q.110, a.3 et 4. — Et contra illam videri potest Bellarmino tomo 3, libro De gratia et libero arbitrio, cap. 6 et 7³⁸⁰.

Sit ergo conclusio: anima secundum suam essentiam est primum subiectum originalis peccati. Ita D. Thomas hic, q.83, a.2 et 3³⁸¹, et De malo, q.4, a.3³⁸², et 2, d.31, q.2, a.1³⁸³; Capreolus, 2, d.31, q.unica, a.1, concl.2 et solutione ad argumenta contra illam³⁸⁴; Conradus³⁸⁵, Caietanus³⁸⁶ et reliqui expositores D. Thomae, 1^a 2^{ae}, q.83, a.2 et 3³⁸⁷; Valentia, tomo 2, disp.6, q.13³⁸⁸. — Idem videtur sentire Soto, 1 De natura et gratia, si caput 5 conferatur cum 9³⁸⁹; et Ferrariensis, 4 Contra

³⁷⁹ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1^a 2^{ae}, q.110, a.3 et 4: ed. leon. 7, 313ss.

³⁸⁰ ROBERTUS BELLARMINO, *De gratia et libero arbitrio* l.III, c.6s: Paris 1873, t.5, p.687-591.

³⁸¹ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1^a 2^{ae}, q.83, a.2 et 3: ed. leon. 7,101ss.

³⁸² THOMAS AQ., *Quaestiones disputatae de malo*, q.4, a.3: ed.leon. 23, 114.

³⁸³ THOMAS AQ., *In 2^{um} Sententiarum*, d.31, q.2, a.1: ed. Vivès 1873, 8,425.

³⁸⁴ I. CAPREOLUS, OP, *Defensiones Theologiae D. Thomae Aquinatis*, Turin 1903, t.4, p.349.

³⁸⁵ CONRADUS KOELLIN, *Expos. comm. in Primam Secundae*, q.83, a.2, a.3: Venetiis 1589, p.655,657.

³⁸⁶ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1^a 2^{ae}, q.83, a.2: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani, ed. leon. t.7, p.102, 97.

³⁸⁷ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1^a 2^{ae}, q.83, a.2 et 3: ed. leon. 7,101ss.

³⁸⁸ GREGORIO DE VALENCIA, SI, *Commentariorum Theologicorum*, t.2, disp.6, q.13: Lyon 1603, col.667s.

³⁸⁹ D. SOTO, OP, *De natura et gratia libri tres*, l.1, c 5.9: Salamanca 1554,

gentes, cap.52, § *Considerandum*, et § *Sed occurrit*³⁹⁰; Andrade, *Orthodoxarum explicationum*, libro 3, axioma 2, q.2, folio 90.

—Ratione probatur, 1^o, quoniam privatio et habitus in eodem subiecto immediato sunt; sed peccatum originale est privatio iustitiae originalis; ergo iustitia et peccatum originale sunt in eodem subiecto immediate; rursus, iustitia originalis idem est quod gratia iustificans, et gratia iustificans est immediate in essentia animae, et non in voluntate; ergo in essentia est originale peccatum. Singulae propositiones huius discursus quam probabilitatem habeant praenotavimus ante conclusionem.

Haec ratio desumi potest ex D.Thoma, q.83, a.2 ad 2³⁹¹. Confirmatur similitudine peccati personalis, nam quamvis actus peccati personalis sit immediate in voluntate, nihilominus habituale peccatum ex illo remanens sive reatus culpae inhaeret immediate substantiae animae, ut constat ex his quae de reatu culpae diximus sectione 1, praesertim dubio 12 et 14³⁹²; ergo similiter originalis peccati reatus existit immediate in essentia animae quamvis actus a quo manavit fuerit in voluntate Adami; itaque, quod attinet ad subiectum differunt peccatum originale et personale quoniam personalis peccati actus est in voluntate eiusdem individui cuius essentia maculatur reatu; at vero actus peccati originalis non est in voluntate personali eiusdem individui [f.486v] sed fuit in voluntate unicus individui, scilicet Adami ut capitis, quamvis singulis hominibus insit peculiaris reatus. — Reliqua proportio actus ad voluntatem et reatus ad essentiam eadem servatur in personali et originali peccato.

—Atque hinc sumitur 2^a ratio conclusionis, quoniam originale peccatum immediate contrahitur ea realitate praecise ratione cuius inoboedientia Adami communicatur et imputatur animae; sed actualis inoboedientia Adami communicatur et imputatur animae

p.13...p.29...

³⁹⁰ FRANCISCI DE SYLVESTRIS FERRARIENSIS, OP, *Sancti Thomae Aquinatis Doctoris Angelici, Summa catholicae fidei Contra Gentiles cum commentariis...*: ed leon. oper. Sti.Thom. t.15, Roma 1930, p.167.

³⁹¹ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1^a 2^{ae}, q.83, a.2 ad 2: ed. leon. 7, 102.

³⁹² *ATG 64 (2001)*, p.278, p.297.

ratione essentiae praecisa potentia quacumque sive voluntate sive intellectu; ergo peccatum originale contrahitur immediate ratione essentiae. Minor probatur, quoniam essentia animae praecisa voluntate et quacumque alia potentia est forma carnis propagatae ex Adamo et alterum extremum unionis et propter physicam unionem cum carne propagata ex Adamo manet anima rationalis moraliter unita cum Adamo ut membrum illius capitis ac proinde inoboedientiam participat. — Confirmatur 1^o, quia relatio qua hic homo constituitur filius Adami est quae unit formaliter hunc hominem cum Adamo, qua unione data statim sequitur imputari illi inobodientiam nomine totius speciei commissam. — 2^o, favent verba Tridentini sess.6, can.4, dicentis iustificationem translationem ab eo statu in quo homo nascitur filius Adami in statum gratiae. Atque hoc modo intellecta, ratio D.Thomae in dicto a.2, c³⁹³, solutiones adversariorum refutare et calumnias effugere potest.

—3^o probatur: quoniam peccatum originale non est voluntarium voluntate individui cuiusque sed tantum voluntate capitis; ergo nihil opus est expectare ex voluntate huius individui ut haec essentia participet dignitatem odii. — Confirmatur 1^o, quoniam essentia immediate capax est peccati habitualis sive reatus quamvis non sit capax actualis transgressionis. — Confirmatur 2^o, quoniam si Deus in homine naturali generatione orto ex Adamo suspenderet concursum ne ex essentia animae emanaret intellectus et voluntas ita ut essentia animae rationalis maneret utraque potentia destituta ille homo vere esset filius Adami et peccavisset in capite et dignum esset odio et filius irae eadem ratione qua caeteri homines eiusdem originis; ergo in essentia est peccatum originale.

—4^o probatur: quoniam ut dignitas personae ratione cuius a Deo amanda sit constituitur congruentius in substantia immediate, ita etiam dignitas odii aut indignitas amoris congruentius afficiunt substantiam immediate; atqui originale peccatum est dignitas odii et indignitas amoris, supra, sect. 1, dubio 12³⁹⁴.

³⁹³ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1^a 2^{ae}, q.83, a.2 c: ed. leon. 7, 102.

³⁹⁴ *ATG 64 (2001)*, p.278.

—5^o: ad has rationes reducitur illa qua utitur D.Thomas, q.83, a.2, in *Sed contra*³⁹⁵, et in 2^o Sententiarum citato, quoniam peccatum originale dicitur esse peccatum naturae eo quod ad naturam hominis praecipue pertineat; sed naturam hominis constituit anima rationalis essentia sua indepen- [f.487] denter a qualibet potentia; ergo essentiae inhaeret originale peccatum.

Haec ratio quaestionem excitat: utrum peccatum prius inhaereat naturae quam personae.

Nam Doctores sacri hoc peccatum dicunt esse naturae sive naturale, ut ex Paulo et Ecclesiae Patribus ostendimus sectione 1, dubio 2, argumento 4³⁹⁶; et praeterea constat ex modo loquendi, quo naturam dicunt in Adamo fuisse lapsam, ut loquitur Dionysius, De ecclesiastica hierarchia, cap.3³⁹⁷; Augustinus passim; Anselmus, De conceptu virginali, cap.10 et 22³⁹⁸; Hugo, tomo 3 De sacramentis fidei, libro 1, p.7, fine³⁹⁹; et scholastici communiter, quoniam ut vidimus dubio 1, sententia 1, probatione 1, ex Alberto, Alexandro et D.Thoma, peccatum originale prius corrumpit naturam quam personam, quamvis Adami persona prius corrupta fuerit quam natura. Vide D.Thoma, q.83, a.2⁴⁰⁰, et 2, d.31, q.1, a.1⁴⁰¹. Consonat modus loquendi D.Bonaventurae, Durandi et Ricardi locis citatis in principio huius quaestionis. —Scotus vero, 2, d.32, columna 4, § *Ex istis dictis*, videtur distinctionem inter naturam et personam reiicere ut inutilem quaestioni praesenti⁴⁰².

Difficultas haec, quoniam praesertim ad modum loquandi

³⁹⁵ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1^a 2^{ae}, q.83, a.2: ed. leon. 7, 101.

³⁹⁶ ATG 63 (2000) p.241 *Ad ultimum respondeo...*

³⁹⁷ *Dionysii Areopagitae, DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA, c.3: Opera omnia*, Venecia 1755, p.211; PG 3 467.

³⁹⁸ ANSELMUS CANTUARIENSIS, *De conceptu virginali et de originali peccato*, c.10, 22: Venecia 1549, p. 81v, 84v; PL 158, 444,456.

³⁹⁹ HUGO A STO. VICTORE, *De Sacramentis christianae fidei*, l.1, p.7, fine: PL 176 306.

⁴⁰⁰ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1^a 2^{ae}, q.83, a.2: ed. leon. 7, 101.

⁴⁰¹ THOMAS AQ., *In 2^{um} Sententiarum*, d.31, q.1, a.1: ed. Vivès 1873, 8,420s.

⁴⁰² B.IOANNIS DUNS SCOTI, *Commentaria Oxoniensia ad IV libros Magistri Sententiarum*, lib.2, dist.32: Quaracchi 1914, 2, p.770.

pertinet, explicatur triplici acceptione naturae:

1° enim, natura accipitur ut praescinditur a substantia et supposita [...], et haec acceptio naturae nihil attinet ad praesens, quoniam nulla ratio est ob quam natura praecisa a substantia sit subiectum primum originalis peccati potius quam cuiusque alterius privationis; quoniam potius suppositum est quod hanc denominationem ut alias recipit quasi *subiectum quod* quamvis natura sit *subiectum quo*.

2° modo accipitur natura pro specie, praecisa ab individuo, et hac ratione natura non est subiectum peccati originalis quoniam hoc peccatum generatione transmittitur ad filium Adami et generatio terminatur ad individuum quod solum est subiectum filiationis.

3° modo, natura accipitur pro collectione hominum qui ex Adamo nascuntur et simul etiam accipitur pro singulis hominibus praescindendo a quibuscumque attributis quae propter peculiare actiones singulis conveniunt et consideratis iis tantum praedicatis quae illis conveniunt quoniam sunt partes huius collectionis; et in hoc sensu dicitur peccato originali naturam prius corrumpi et inde corruptionem manare ad personam, quoniam peccatum originale propterea singulis hominibus convenit quoniam singuli partes sunt illius communitatis, et inde provenit singulorum actiones personales quandoque esse inordinatas. — Quo supposito facile erit primam rationem D.Thomae explicare et ad praecedentes reducere.

Ad argumenta in principio proposita, respondeo:

—ad 1^{um}: iniustitia, si sumatur pro actu, semper est in voluntate ut in subiecto, si autem sumatur pro reatu sive habituali peccato, non est in voluntate ut in subiecto sed ut in causa tribuente rationem voluntarii; sic ergo originale [f.487v] peccatum, cum sit reatus non est in voluntate ut in subiecto sed ut in causa fuit in sola voluntate Adami, a qua sola accipit rationem voluntarii in capite, et hoc tantum voluit Anselmus in 3° capite, ut colligitur ex sequenti capite 4. Nisi forte mens illius fuerit ostendere animam esse subiectum originalis peccati non secundum gradum vegetativum aut sensitivum sed ut rationalis est et radix intellectus et voluntatis. — Ad 1^{am} confirmationem

respondeo peccatum qui es actus non est nisi in subiecto quod immediate et formaliter capax est obligationis, scilicet in voluntate, sicque actus peccati originalis fuit in sola voluntate Adami; sed peccatum habituale est in eo subiecto quod a voluntate participat denominationem obligati et voluntarii, scilicet in essentia. — Ad 2^{am} confirmationem respondeo 1^o: quod non potest moveri a voluntate non est capax eius peccati quod est actus imputabilis et tamen capax reatus qui sit imputabilis propter actum voluntatis Adami. Respondeo 2^o, essentiam animae moveri a voluntate primi parentis non quidem ut ipsa immediate eliciat realem actum, sed in quantum essentia animae culpam originalem recipit a voluntate primi parentis quasi a causa efficiente. Ita D.Thomas hoc a.2 ad 1⁴⁰³.

—Ad 2 respondeo negando minorem, et ad eius probationem: iustitia originalis non est formaliter rectitudo voluntatis sed radix rectitudinis voluntatis et aliarum potentiarum: sectione 1, dubio 7 et 8⁴⁰⁴. — Ad 1^{am} confirmationem respondeo: originalis iustitia non est proprie virtus, quoniam non est habitus immediate inclinans ad bene operandum; est autem virtus minus proprie quoniam est supernaturale donum exornans animam et reddens gratam Deo, et quoniam vel physice vel moraliter radix est virtutum. — Ad 2^{am} confirmationem respondeo: rectitudo appetitus quamvis rationem virtutis habeat a voluntate, verum ut a fonte manat ab habitu gratiae inhaerente in essentia animae, quapropter in eadem essentia erit praecipua ratio peccati habitualis.

—Ad 3 respondeo: concupiscentia non est ratio formalis originalis peccati sed pars materialis: sectio 1, dubio 16⁴⁰⁵; concedo autem materialem partem originalis peccati esse in voluntate et aliis potentiis ut dicetur dubio sequenti. — Ad confirmationem negatur minor, nam originale peccatum ad actus non inclinatur nisi mediate, quatenus ablata gratia aufertur etiam charitas et aliae virtutes quibus potentiae ab inordinatis actibus

⁴⁰³ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1^o 2^{ae}, q.83, a.2 ad 1: ed. leon. 7, 101.

⁴⁰⁴ ATG 64 (2001), p.241.

⁴⁰⁵ ATG 64 (2001), p.311.

fuerant cohibendae.

—Ad 4 distinguo minorem: deordinatio actualis est in voluntate ut in subiecto sed habitualis deordinatio est immediate in essentia animae quamvis a voluntate proficiscatur. Confirmationis antecedens negatur.

—Ad 5 respondeo eadem distinctione: originale peccatum non est privatio subiectionis actualis sed habitualis, quae licet a voluntate primi parentis proveniat, nihilominus immediate inhaeret essentiae animae. — Ad confirmationem respondeo negando antecedens, nam peccatum originale, licet [f.488] sit aversio a Deo, non est aversio voluntatis sed aversio hominis sive animae, remanens ex peccato primi parentis.

—Ad 6 respondeo 1^o: peccatum Adami non est eiusdem rationis cum nostro, supra, sect.1, dubio 11⁴⁰⁶, et ideo non valet argumentum a simili. Respondeo [2^o] Adami peccatum habituale inhaerebat ut subiecto essentiae animae quamvis proceserit ab actu voluntatis eiusdem hominis, et in posteris Adami similiter inhaeret habitus in essentia animae, sed non procedit a voluntate eiusdem individui sed a voluntate capitis ut supra in ratione 1^a.

—Ad 7 respondeo: habitus qui est qualitas realiter producta per actus et realiter inclinans ad illos inhaeret illi potentiae a qua eliciuntur actus, sed peccatum habituale non est habitus eiusmodi sed est privatio gratiae propter praecedentem actum qui adhuc moraliter perseverat. Ad confirmationem respondeo falsum esse antecedens: constat ex prima probatione conclusionis.

—Ad 8 respondeo: peccatum originale ex carne derivatur ad animam, quamvis in carne non sit formaliter quoniam anima rationalis capax est peccati cuius incapax est caro; sed non est eadem proportio inter essentiam animae et eius potentias quoniam peccati habitualis capax est essentia et ab illa oritur potentiarum corruptio et tamen potentiae non sunt capaces peccati habitualis. - Aliter respondet D.Thomas hic ad 3⁴⁰⁷.

⁴⁰⁶ ATG 64 (2001), p.272.

⁴⁰⁷ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1^a 2^{ae}, q.83, a.2 ad 3: ed. leon. 7, 102.

Dubitatur 8 Utrum originale peccatum voluntatem prius et magis quam alias potentia afficiat

Ex dubio praecedenti constat formalem rationem originalis peccati non esse in voluntate ut in primario subiecto; dubitabit tamen aliquis utrum saltem sit in voluntate ut in subiecto partiali et minus principali. — Qui existimant originalem iustitiam esse collectionem gratiae, charitatis et aliarum virtutum supernaturalium ille rationem formalem peccati originalis constitueret in voluntate ut in partiali subiecto. — Verum cum probabilior sit sententia D.Thomae quam explicuimus sectione 1, dubio 7 et 8, iustitiam originalem esse unicum habitum gratiae quae virtualiter ut radix continet charitatem et alias virtutes, inde fit ut ratio formalis originalis peccati nec partialiter sit in voluntate et multo minus in aliis potentiis.

Restat ergo difficultas de sola ratione materiali originalis peccati, quae appellatur infectio sive corruptio, et est inclinatio potentiarum ad actus inordinatos, de qua quaeritur quo ordine procedat quasi effective aut per emanationem a peccato originali.

Sit 1^a conclusio: privatio charitatis et subiectionis in voluntate et inclinatio ad actus [f.488v] malos quae ex hac privatione sequitur prior et maior est in voluntate et prius nascitur ab originali peccato quam inclinatio ad malum quae est in appetito sensitivo ex defectu doni subiicientis illum rationi. Ita D.Thomas q.83, a.3⁴⁰⁸, ubi Conradus⁴⁰⁹ et alii. D.Bonaventura, d.31, a.1, q.2⁴¹⁰, ubi Ricardus eodem articulo et 9⁴¹¹; nec multum dissidet Durandus, d.31, q.3⁴¹². — Qui existimant originale peccatum esse formaliter in voluntate, a fortiori sentient defectum

⁴⁰⁸ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1^o 2^o, q.83, a.3: ed. leon. 7, 103.

⁴⁰⁹ CONRADUS KOELLIN, *Expos. comm. in Primam Secundae*, q.83, a.3: Venetiis 1589, p.657.

⁴¹⁰ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.31, a.1, q.2: Quaracchi, t.2 (1885), p.744.

⁴¹¹ Ricardus a Media Villa, IN SECUNDUM SENTENTIARUM, d.31, a.1, q.2: BRixiae 1591, p.388s.

⁴¹² DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 2, d.31, q.3, n.4s: Amberes 1566, fol. 185.

voluntatis priorem esse infectione cuiusque alterius potentiae.

Probatur quoniam voluntas est quae aliarum omnium potentiarum actionibus praebet rationem peccati et sola potest ex se habere peccatum; ergo inclinatio ad peccatum ex peccato originali veniens prior erit in voluntate ut in auctore peccatorum.

Confirmatur quoniam charitas et aliae virtutes voluntatis quae comitabantur originalem iustitiam in ratione virtutis imputabilis priores erant quam habitus intellectus et appetitus, quapropter Anselmus, *De conceptu virginali*, cap.3⁴¹³, definit iustitiam esse rectitudinem voluntatis, quoniam aliarum potentiarum rectitudo a voluntate participat rationem iustitiae.

2^a conclusio, qua praecedens confirmatur. Corruptio intellectus est aliquo modo prior et maior quam corruptio voluntatis quatenus cognitio et ignorantia iuvare possunt ad peccandum; verum absolute posterior est in ratione inclinationis ad peccandum quoniam nullus actus intellectus habet rationem peccati nisi denominatione ab actu voluntatis: supra, q.76, a.5.

3^a conclusio: infectio appetitus sensitivi et sensuum aliquo modo est prior et maior quam infectio voluntatis, tum quoniam actiones sensuum priores sunt actibus voluntatis et frequentius voluntatem ad peccandum impellunt, tum etiam quoniam sensus et appetitus sensitivus propinquiores sunt carni, a qua provenit originale peccatum, et quoniam hae potentiae a generatione dependent habent speciali modo rationem contrahendi corruptionem: ita D.Thomas, q.83, a.3 ad 2⁴¹⁴. — Atque hac postrema ratione defectus vegetativae partis prior est quam sensitivae, ut notat Ricardus, 2, d.31, a.1, q.2⁴¹⁵. — Quomodo autem infectio cuiusque potentiae dicatur esse pars materialis originalis peccati dictum est sectione 1, dubio 17⁴¹⁶.

4 conclusio: si nomen corruptionis et infectionis sub ea proprietate accipiatur qua significat malum ab uno in alium

⁴¹³ ANSELMUS CANTUARIENSIS, *De conceptu virginali et de originali peccato*, c.3: Venecia 1549, 79v; PL 158, 436.

⁴¹⁴ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1^a 2^{ae}, q.83, a.3 ad 2: ed. leon. 7, 103.

⁴¹⁵ Ricardus a Media Villa, IN SECUNDUM SENTENTIARUM, d.31, a.1, q.2: Brixiae 1591, p.389.

⁴¹⁶ ATG 64 (2001), 332.

hominem contagione serpens huiusmodi est lepra, morbus indicus et similes: sic corruptio magis priusque residet in generativa virtute [f.489] quoniam illa per generationem posteros originali peccato corrumpit. Est et alia ratio eiusdem conclusionis: quoniam potentiae generativae magis per se et immediate famulantur sensus tactus et appetitus delectationis qui vehementius erumpunt in actus inordinatos et manifestioribus signis ostendunt inoboedientiam contra rationem: supra, sect.1, dubio 16, conclusione 5⁴¹⁷. — De hoc fusius D.Thomas, q.83, a.4⁴¹⁸; Gulielmus Parisiensis, tomo 1, tract. De vitiis et peccatis, cap.6, col.5, (ubi ait iuste illatam fuisse hanc poenam quoniam Adamus mulieris amore peccavit)⁴¹⁹; D.Bonaventura, 2, d.31, a.1, q.3⁴²⁰, ubi Ricardus, eodem a. et q.⁴²¹; Alexander, 2 p., q.122, mem. 7, a.3, § 3⁴²².

(sigue Sectio 3: Quae peccata et quorum parentum ad posteros traduci potuerint)

⁴¹⁷ ATG 64 (2001), p.322.

⁴¹⁸ THOMAS ÀQ., *Summa Theologiae*, 1^o 2^{ae}, q.83, a.4: ed. leon. 7, 103s.

⁴¹⁹ GUILIELMUS PARIENSIS, *De vitiis et peccatis*, c.6: Ambiani 1674, t.1, p.274.

⁴²⁰ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.31, a.1, q.2: Quaracchi, t.2 (1885), p.746.

⁴²¹ Ricardus a Media Villa, IN SECUNDUM SENTENTIARUM, d.31, a.1, q.3: Brixiae, 1591, p.390.

⁴²² Cf. ALEXANDRI DE ALES, *Summa Theologiae*, p.2, q.105, mem. 7, a.3, § 3: Venecia 1575, fol.274.